DIATRIBE

IN

M. PORCII CATONIS UTICENSIS

VITAM ET MORES,

AUCTORE

M. P. LINDO.

ARNHEMIAE,
APUD IS. AN. NYHOFF.
MDCCCLI.

DIATRIBE.

Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus.
CIC. *ad Att.* II. 5.

DIATRIBE

IN

M. PORCII CATONIS UTICENSIS

VITAM ET MORES,

AUCTORE

M. P. LINDO.

ARNHEMIAE,
APUD IS. AN. NYHOFF.
MDCCCLI.

DIATRIBE

IN

M. P. CATONIS UTICENSIS

VITAM ET MORES.

INTROITUS.

DE FONTIBUS.

Ad Catonis Uticensis vitam conscribendam permulti exstant fontes, quorum insigniores, inter veteres, in Plutarchi et Ciceronis invenimus libris. Caeteri clarissimi scriptores, tam aequales quam posterioris temporis, fide digni fere omnes nobis videntur; nam viri sunt partim doctissimi, quibus res Romanae pernotae erant, vel oratores ducesque magni, qui res ipsas a se descriptas viderunt, quarum etiam pars magna fuerunt. Exempli gratia hoc loco nominamus, Caesarem, Hirtium, Ciceronem, Sallustium — Catonis fere aequales — postea Senecam, Plinium, Dionem Cassium et Appianum.

Quibus addimus, inter veteres, Suetonium, Vellejum Paterculum, Lucanum poëtam, Valerium Maximum, Aulum Gellium, denique Eutropium historicum.

Inter recentiores vero scriptores non multos invenimus, inter innumeros fere historicos, qui, judicio nostro, aliquid quod operae pretium esset, ad Catonem pertinens commemorent, quod iis, quae a veteribus narrantur multum lucis afferat.

V. Cl. Wieland autem in libro cui est inscriptio »*Briefe des Cicero*" permultas affert annotationes e quibus doctrinam sagacitatemque praeclaram ejus agnoscimus.

De V. V. Cll. Limburg Brouweri et Drumanni libris mox amplius mentionem faciemus.

Quae dicuntur monographa ad Catonis Uticencis vitam describendam, unum modo nobis innotuit — videlicet: »*Schmieder*, *Abriss vom Leben Cato's*" de quo libro mentio fit apud »*Billerbeck*, *Epist. des Cicero*". Vol. II. p. 172, ni fallamur — nam libello potiri, nobis non licuit. Hi praecipui sunt fontes ad Catonis Uticensis vitam enarrandam. Transeamus nunc ad inquirendum quantum fidei unicuique insigniorum scriptorum laudatorum tribuendum sit.

Quod ad faciendum liceat non tam ordinem sequi chronologicum, quam uniuscujusque scriptoris ad inceptum nostrum momentum et pondus.

Quare hac occasione primum obtinet locum Plutarchus. Cujus in Catonis Minoris vita, fere omnia invenimus, quae de viro celeberrimo nota sunt, singulari cum lepore descripta, cum peculiari veritatis studio conjuncta. Inde a Catone nato usque ad mortem ejus, res, quae ei acciderunt, quibus ratione quacunque tandem immixtus fuit, copiosissime docet. Virtutem praeclarasque ejus animi dotes laudat; memorabilia ejus aetatis omnia memorat, tam privata quam publica; heroem ipsum ad coelum fert. E libro ejus Catonis indoles, virtutes vitiaque agnoscuntur, sed res difficillima est e scriptoris Graeci narratione ordinem invenire chronologicum, vel tempus statuere quo permultae factae sint res, de quibus apud fere nullum alium scriptorem, quod scimus, mentio fit, quarum tamen verisimilitudo constat.

Exempli gratia de Catonis nuptiis loquitur — primum cum Atilia (1), postea cum Marcia (2); Catonis munus sacerdotale in Apollinis aede commemoratum est (3) paucis verbis, e quibus nec tempus, quo munere perfunctus sit, nec quale fuerit agnoscere licet; quum de nuptiis ejus annos statuere e Plutarchi libro sane difficillimum sit; sicuti multa hujus generis alia, quae infra in ipso libello nostro, loco ido-

(1) Plut. *Cat. Min.* 7.
(2) Plut. » » 24.
(3) Plut. » » 4.

neo, afferemus. Longe autem res intricatior evadit, quum tempus et annus alicujus rei falso a scriptore statuuntur; quod saepius ei accidit: videlicet de Catonis in Asiam Minorem ad Pompejum itinere ([1]); de triumpho, opera ejus Lucullo decreto ([2]); de per deserta Africa itineris ejus tempore ([3]); porro de multis aliis quibus majus minusve momentum est, ut infra demonstrabimus, quae autem praeterire hoc loco silentio, spatii caussa, necesse est.

Notandum quoque est, non solum in ipsius Catonis Minoris vita, Plutarchum eum commemoravisse, sed etiam aliis in vitis caeterorum clarorum virorum aequalium ejus, permulta ad illustrandos mores et indolem ejus invenirius: afferimus Caesaris, Pompeji, Luculli, Ciceronis, Crassi vitas; quum porro in Catonis Majoris vita nonnulla de gente Catonum memorabilia inveniantur. E quibus fontibus hauserit Plutarchus ad Catonis Uticencis res gestas describendas, difficile statuendum est; nam neminem, praeter bis Thraseam Munaciumque ([4]) laudat. E libro autem ejus patet eum sane tam Ciceronis quam Caesaris, vel Hirtii, Sallustiique opera novisse, et de ipsius Caesaris Anticatone mentio fit. Narrantiunculas, quas

([1]) Plut. *Cat. Min.* 13.
([2]) Plut. » » 29.
([3]) Plut. » » 56.
([4]) Plut. » » 25 et 37.

praecipue servavit, sine dubio ex iisdem fontibus e quibus Valerius Maximus vel ex ipsis hujus scriptoris libris hausit, quod eo magis affirmare licet, quum saepe fere iisdem verbis, quibus auctor Romanus, usus sit. Fortasse etiam libros perlegerat Titi Livii, nobis abreptos; qui certe de rebus a Catone gestis permulta commemoravit. Caeterum, ut jam supra diximus, nullum memorat fontem, tantum initio dicens, λέγεται vel λέγουσι (¹) etc.

Tandem, nullo modo affirmare veremur, sine Plutarchi Catonis vita nullam ejus vitam conscribi potuisse.

Judicio nostro Ciceroni, secundum Plutarchum, inter veteres hac in re maximum est tribuendum momentum.

Compluribus in scriptis ejus de Catone mentio fit; quam saepissime autem in epistolis, sponte, ita ut ferebat occasio, vicissim Catonem in coelum laudibus extollit (²), vel acerrime etiam irrisui habet (³). Quod nemini oratoris magni indolem consideranti mirum videbitur; quid autem singulis hisce tribuendum ultro patet. Bonitatis autem Ciceronis animi praeclarum est testimonium, quod Catone mortuo, nil nisi in laudem ejus locutus est.

(¹) Plut. *Cat. Min.* 1, 9, 13, 15, 24, 53, etc.

(²) *Ad Att.* I, 14. 17. II, 1. 5. III, 15. Ad Div. I, 9. etc. etc.

(³) *Ad Att.* VII, 2. 3. 15. X, 16.

Praeter epistolas, in orationibus variis Cato occurrit. Orationes pro Murena, pro Sextio, in Catilinam, exempla sunt. Porro in libris de Oratore, de Divinatione, de Officiis aliisque, multa invenimus, fere omnia ad Catonem ornandum. Dolendum est Catonis laudationem a Cicerone conscriptam saeculorum injuria periisse.

Jam autem de Sallustio nobis dicendum. In libro ejus de conjuratione Catilinae, permulta invenimus, quae ad Catonis conscribendam vitam maximi sunt momenti. Unicae nobis Catonis superstitis orationis brevem quasi epitomen in Capite LII invenimus. Insignis, jucundissima etiam inter Caesarem Catonemque comparatio Capite LIV habetur. Caeterum, quantum scimus, nil nisi quod fide dignum apud hunc scriptorem clarissimum reperimus.

Paucis absolvere nobis liceat, quae apud Caesarem ad Catonem pertinentia invenimus. Manu sane inimica scripta sunt quae in l.l. de Bell. Civ. et de Bell. Afric. legimus, tamen nihil cui multum momenti sit, quin pluribus e Plutarcho constent. De Catone mortuo quam honorificentissime mentionem facit (1); eum magnis cum laudibus a caeteris distinguens ducibus. Caeterum, modo brevissime de eo his in libris sermo est. De Caesaris Anticatone

(1) Caesar, *Bell. Afr.* 88.

autem, qui totus periit, infra pluribus dicendi erit locus.

Ordinem sequentes scriptorum, minoris momenti sunt: Valerius Maximus, qui permultas servavit narratiunculas quibus fidem esse tribuendam e nostra sententia constat. Harum nonnullae etiam apud Plutarchum inveniuntur. Caeterae verisimilitudinis (1) prae se ferunt speciem. Omnes ad heroem laudandum commemoratae sunt; hic illic sane res ipsas supra veritatem augentes.

Cato Vellejo Paterculo, »homo virtuti simillimus, et per omnia ingenio diis, quam hominibus propior, (2)" magna cum laude variis locis a scriptore magniloquo commemoratur; in Catilinae conjuratione constantiam ejus (3); in Cypria legatione (4) integritatem extollit; sed nihil novi, vel quod apud caeteros scriptores omissum sit, apud eum invenimus, nisi quod affirmat, quum de Catonis legatione mentio fit, hunc »quaestorem cum jure praetorio, adjecto etiam quaestore, in insulam Cyprum missum fuisse," (5) dum apud alios scriptores, quod novi-

---

(1) Val. Max. II, 10, 8. III, 2, 14. IV, 1, 14. VI, 2, 5. VII, 6, 6. VIII, 7, 2 et 15, 10.

(2) Vell. Pat. II, 35

(3) Vell. Pat. l. l.

(4) Vell. Pat. II, 45.

(5) Vell. Pat. l. l.

mus, nihil de quaestoris dignitate, jure praetorio, habetur. Quam ab rem modo verba laudamus scriptoris, vix iis magnam tribuentes fidem.

»Victrix causa deis placuit, victa Catoni;" dictum pernotum est Lucani poëtae ([1]), qui sane paucissimis verbis summam constantiae ejus laudem praebet. Caeterum, multas res pernotas enarrat potius rhetoris eloquentia quam poëtae enthusiasmo incensus. Porro in libello nostro hic illic poëtam laudamus; a cujus verbis certe verum non est alienum.

Apud caeteros veteres scriptores, quos in hujus capitis initio adhibemus, sparsa sunt varia facta, quibus, ut occasio ferebat, usi sumus. De gente Porcia insignem locum apud Aulum Gellium ([2]) invenimus: Seneca Catonem, variis locis, laudibus ad coelum fert: dictum memorabile quidem Catonis de Caesare, Suetonius nobis servavit ([3]); apud Appianum et Dionem Cassium hic illic, de rebus a Catone gestis pluribus agitur; hic de Catonis in Africam itinere multa affert ([4]); ille, de rebus Africanis etiam scribens, Catonis vitae scriptori magno est auxilio. Porro apud Virgilium, Horatium, Mar-

([1]) Luc. *Phars.* I, 128.
([2]) Aul. Gell. XIII, 19.
([3]) Suet. *Caes.* 53.
([4]) Dio Cass. XLII, 13, 14.

tialem nonnullosque alios quam honorificentissime de Catone mentio fit: locis idoneis et hi scriptores a nobis laudati sunt.

Jam autem de uno alteroque scriptorum recentiorum, quorum libris ad inceptum nostrum usi sumus, dicendum est.

V. Cl. Drumann in libro »*Geschichte Rom's in seinem Uebergange von der republicanischen zur monarchischen Verfassung*," praestantem doctrinam ostendit, cum magna eloquentia conjunctam.

Omnia quae apud omnes inveniuntur scriptores — tam de ipso Catone quam de civitate Romana, hac aetate — in libris ejus commemorata sunt. Vitas res gestasque omnium illius temporis heroum descripsit ad civitatis illustrandam historiam. Ex omnibus hausit fontibus: nil obliviscens, nemini temere fidem tribuens, mirabili critico acumine praeditus, non minus etiam mirabili diligentia et eruditione: sine ulla ostentatione, maxima cum simplicitate, veluti res ipsae jam omnibus paterent, historiam enarrat, annotationesque quibus semper maximum est momentum addit. Praecipue in Catonis vita hoc manifestum est. Plutarchi chronologiam mancam accuratissime emendat; maxima cum modestia, nobis summam rerum sine fastu, simplicissimis verbis exhibens; de studiis suis, de tempore in inquisitionem impenso, tacet. Quod etiam de recentioribus scrip-

toribus facit; ita ut credere liceat, ei e fontibus ipsis haurienti, libros recentiorum scriptorum indignos qui memorarentur fuisse visos. Quum ipse, ut e praefatione patet, monarchiae amantissimus sit, non mirum est, eum, judicio nostro, interdum non magna cum indulgentia de Catone rempublicam colente judicavisse. Quam saepissime librum ejus laudamus, sine quo libenter fatemur libellum nostrum vix perficiendum fuisse; sin etiam parvulum errorem ejus in tabula Catonis genealogica corrigere ausi sumus; varia quoque opportunitate sententiam ab eo diversam ferre, id semper erga virum doctissimum, clarissimum summa cum reverentia fecimus.

V. Cl. Limburg Brouwer, quem mors praematura paucos ante annos patriae amicisque eripuit, in libro »*Cesar en zijne Tijdgenooten*" idem quod V. Cl. Drumann sibi proposuit ([1]); quem autem inter scriptores recentiores in praefatione non laudat, minime certe quod eum dicto comprehenderet: »*Hier een lijst te geven van de nieuwe schrijvers, die ik gelezen heb, acht ik nog minder gepast en zelfs onkiesch, omdat ik begonnen ben met te zeggen, dat geen hunner mij voldaan heeft;*" quam forsitan negligentia. Quidquid est, mirum eum nihil de illustris Collegae

([1]) Limburg Brouwer, Cesar en zijne tijdgen. I, p. VII. »Mijn oogmerk is in Cesars geschiedenis *den overgang te schetsen van de republiek tot de monarchie.*"

opere dixisse, quocum tanta ei in proposito est similitudo; quem identidem adeo laudat, exempli gratia ad pag. Vol. 1, 305. etc.

Quam egregie autem V. Cl. Limburg Brouwer inceptum peregerit, non nostrum est explicare — magna cum voluptate librum perlegimus — quem tamen non saepe laudamus, quod omnia quae apud eum inveniuntur apud Drumannum commemorata sunt, equidem sine dubio accuratius inquisita (¹). Porro, quod »*Cesar is de hoofdpersoon van het boek*," (²) minus ad inceptum nostrum pertinet.

Nec V. Cl. Drumann, nec ipse Limburg Brouwer de Catone Uticensi monographa memorant, quam ob rem statuere non veremur ea prorsus non adesse.

Novissimis quoque temporibus V. Ven. Merivale, Anglus, librum scripsit de iisdem rebus agentem quem inscribit: »*History of the Romans under the Empire*;" cui summa tribuitur laus, in quo autem mirum est, Sallustium nulla fide dignum judicatum invenire, Ciceroni magnam constantiam in rebus publicis tributam, Bruti autem potestatem, momentumque magnum nobilis tantum generis ejus caussa, etc.

Denique, hisce fontibus qui exstant usi, libellum conscripsimus nostrum, quam diligentissime scriptores

(¹) Vide de Catonis sororibus quaestionem, infra Capite primo libelli nostri, ubi de tabula Catonis genealogica mentio fit, et alibi.
(²) Limburg Brouwer, I, VII.

laudatos inter se comparantes, minus ad eos critica ratione inquirendos quam ad accurate Catonis vitam et mores illustrandos. A cujus vita fere non digredientes res ad Catonem pertinentes narramus, praecipue molientes res gestas ejus dilucide Lectori benevolo ostendere, ordine chronologico exactas; Catonis indolem ex ipsis factis ejus explicantes, simul locos afferentes insigniores, quibus amplius de iis quae ad Catonem pertinent, tam apud veteres quam apud recentiores scriptores, mentio fit. Tandem, ultimo libri nostri capite, Catonem tam privatum quam magistratum consideramus; de scriptis quoque ejus aetatis aequalium, vel ad eum ornandum vel ei calumniandum, dicimus.

CAPUT I.

De gente Porcia — Catonis pueritia. — Ejus usque ad bellum gladiatorum vita. —

Gens Porcia stirpe plebeja orta est: nomen etiam a voce »porcus" derivatum satis primam generis auctorum conditionem indicare nobis credere licet ([1]). In tres erant divisi familias Porcii, videlicet: Liciniarum, Leccarum et Catonum; de his autem modo nobis agendum.

Qui Catonum cognomen, testante Plinio ([2]), ob sapientiam, ob animi praeclaras dotes acceperunt; pristinam vero gloriam Catonis Uticensis proavo, Catoni Majori, ἀνδρὶ ἐν δόξῃ καὶ δυνάμει μάλιστα Ῥωμαίων γενομένῳ δι' ἀρετὴν ([3]), debuerunt.

Cujus e filio, M. Porcio Catone Saloniano natus est M. Porcius Cato, M. F. M. N. ([4]), vir probus et honestus, Sullae, cujus non vidit dictaturam, amicissimus, qui etiam munere tribuni plebis functus

---

([1]) Drumann, V, 94.

([2]) Plinius, VII, 31: »Praestitere ceteros mortales sapientia, ob id Cati, etc."

([3]) Plut. *Cat Min.* 1.

([4]) Aul. Gell. XIII, 19.

est, praeturamque petens (1), diem obiit supremum; uxorem autem duxerat Liviam (2), M. Livii Drusi Consulis filiam, quae post mariti mortem, novis nuptiis Q. Servilium Caepionem conjugem habuit. His parentibus natus est M. Porcius Cato, cui postea Uticensis cognomen fuit, »homo excelsus, quem ipsa natura finxit ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam ad omnes denique virtutes (3)."

E priori matrimonio duos modo liberos habuerat Livia: Catonem hunc et Porciam filiam; Caepioni autem tres peperit natos: filium cui nomen Caepionis (4), et filias duas Servilias (5).

(1) AUL. GELL. l. l. PLINIUS, VII, 14; insignis de gente Porcia locus.

(2) VAL. MAX. III. 1. CIC. *Brut.* 62. Conf. DRUMANN, V. 152.

(3) CICERO, *pro Mur.* 29.

(4) PLUT. *Cat. Min.* 1.

(5) PLUT. l. l. unam sororem matruelem; postea autem, cap. 24, duas Servilias memorat. XYLANDER et DACIER (v. PLUT. ed. WASSENBERGH et BOSSCHA, Vol. X, p. 75), aiunt: »*Tres* habuit Cato sorores matrueles: primam Bruti matrem, alteram Luculli conjugem, tertiam uxorem duxit J. Silanus; idem v. CL. LIMBURG BROUWER ait: *Van drie halfzusters van Cato was eene de moeder van den bekenden M. Brutus, de andere de echtgenoote van Lucullus, de derde gehuwd met Junius Silanus*", CESAR *en zijne Tijdg.* I, 273, Xylandero et Daciero fidem tribuens. Quod vero minime recte statuerunt: nam Servilia, Bruti mater, alteris nuptiis, maritum J. Silanum habuit (Vide DRUMANN IV, 15.). In tabula genealogica apud DRUM. (ll. an. 2 ad. pag. 15.) omissa sunt nomina: 1° *Serviliae*, Luculli uxoris; 2° *Marciae*, Catonis sororis; 3° *Caepionis*, Catonis fratris matruelis. Caeterum, de duabus Serviliis

Anno 95 a. Chr. natus est Cato noster (¹), paucis modo annis ante Sullae dictaturam, temporibus certe jam reipublicae infestissimis; nam inter cives »pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant (²).” Luxuria privata, egestas publica maximae erant; inter nobiles de principatu jam contentio vehementissima erat orta; plebs ipsa inertiam sequebatur, Sullae potentia jam quotidie augebatur; civitatis libertas, numquam reversura, jamjam erat moritura. Hisce infaustis auspiciis natus est puer cujus vitam describere statuimus; cui mox etiam malis publicis mala accesserunt privata, nam mature patre ac matre orbus, ceteris cum parentum liberis, pueritiam in M. Livii Drusi avunculi do-

---

vide etiam DRUMANN IV, 175 et PLUT. *Cat. Min:* l.l. Judicio ergo nostro tabula ista genealogica sic est corrigenda:

M. Liv. Drusus. Cos. 112—642.

M. Liv. Drusus, Tr. pl. 91—663 | *Livia* — *a. M. Cato.* — *b. Q. Servilius Caepio.*

Porcia. M. P. Cato Utic. 95—659. | *Caepio.* | *Servilia.* Lucull. uxor. | *Servilia.* M. Bruti, deinceps J. Silani uxor.

Tabula altera Catonis genealogica manca etiam exstat curante VINET; v. EUTROP. ed. VERHEYK. L. VI, 23.

(¹) PLUT. *Cat. Min.* 3 et 73. LIVIUS 114. APPIAN. *p.* 243. EUTROP. ed. VERHEYK. l.l.

(²) SALL. *Catil.* 3. Quae SALL. de moribus juventutis suae affirmat, eadem quoque de Catonis pueritiae tempore credere licet.

mo degit (1), permulta jam, tenera aetate, praeclara animi virtutis indicia praebens; nam constantia ejus enituit; severitas, gravitas, pauca condita comitate (2), inustum adulationis odium, quid de eo exspectandum docebant. De quibus singulis virtutibus varias veteres scriptores narratiunculas servaverunt, quarum insigniores, unam alteramque, etsi pernotae sint, e quibus tamen indoles ejus pueri agnoscatur, hoc loco nobis silentio praeterire non licet. Primum constantiae ejus animi exemplum verbis Valerii Maximi damus (3): »cum in domo M. Drusi avunculi sui educaretur, et ad eum, Tribunum pl.. Latini de civitate impetranda convenissent, a Q. Poppe dio, Latinorum principe, Drusi autem hospite, rogatus ut socios apud avunculum adjuvaret, constanti vultu, non facturum se respondit. Iterum deinde ac saepius interpellatus, in proposito perstitit. Tunc Poppedius, in excelsam aedium partem levatum, abjecturum inde se, nisi precibus obtemperaret, minatus est: nec hac re ab incepto moveri potuit. Expressa est itaque illa vox hominum: »Gratulemur nobis, Latini et socii, hunc esse tam parvum, quo sentore ne sperare quidem nobis civitatem licuisset." Tenero ergo animo

(1) Plut. *Cat. Min.* 1 Val. max. III, 1.
(2) Plut. *Cat. Min.* 1, 2, 3.
(3) Val. max. III, 1. Plut. *Cat. Min.* 2.

Cato totius Curiae gravitatem percepit, perseverautiaque sua Latinos, jura nostrae civitatis appreheudere cupientes, repulit."

Anno a. Chr. 91 autem avunculus Drusus tribuni plebis munus auspicatus est (¹); quo tempore quadrimus modo erat Cato, quam ob caussam, nimium ultimis Valerii Maximi verbis momenti tribuens, V. Cl. Drumann (V, 153), uarrationem totam fictam statuit. Exstat autem apud scriptores jam supra laudatos, et judicio uostro, ni manifesto falsi arguatur non rejicieuda est: eoque minus quod etiam apud Cicerouem de eadem re mentio fit (²).

Quae autem nou multis annis post, Sulla dictatore, facta suut, hujus narratiuuculae verisimilitudinem confirmant. Puerum fortem et coustantem Sulla, patris amicus, dilexit (³); qui saepe et salutandi gratia cum paedagogo Sarpedone ad eum venit: quum autem quondam capita proscriptorum in atrium allata vidisset, praeceptorem ut ferrum sibi daretur obsecravit, se tyrannum interfecturum affirmans; simul indignationem ostendens, quod uemo inve-

(¹) Drum. IV, 15. an. 1.

(²) Cic. *ad Fam.* XVI, 22. »Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. Una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere soleo, de *quadrimo Catone.*" Vide etiam annot. Wielandii, *ad Ep.* 34. l. XIII.

(³) Plut. *Cat. Min.* 3.

niretur, qui tam crudelem hominem occideret ([1]).

Concedunt omnes, pueritiae nostrae casus graviores ad indolem formandam permultum conferre; non mirum igitur Catonem puerum Sullae videntem facinora, jam mature libertatis amore incensum fuisse; gravitate autem atque severitate, supra aetatem, inter aequales summam etiam obtinuisse auctoritatem ([2]). Quo pondere apud amicos sine ulla est usus arrogantia, semper majoribus natu, praeceptoribusque obediens, quam maxime amore Caepionis fratris, severitate condita ([3]).

Memoria singularis tenacitatis praeditus erat, ([4]) et si vix facile studia perficeret, hoc potius maximae omnium rationis inquirendae cupiditati, quam celeritatis animi defectui, tribuendum constat. Cujus de praeceptoribus adolescentis nil nisi Sarpedonis nomen notum est, viri, ut patet, doctissimi, discipuli amantissimi ([5]), sine dubio Stoicorum praeceptorum sectatoris.

De pueritia Catonis apud Plutarchum (Cap. 1—4), nonnullae inveniuntur narratiunculae, quibus tamen minus momenti tribuendum est; apparet autem, usque

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* l.l. val. max. III, 1, § 2.
([2]) Plut. » » l.l.
([3]) Plut. » » 1 et 3.
([4]) Plut. » » 1. val. max. l.l.
([5]) Plut. » » l.l. et 3.

ad aetatis annum vicesimum, eum continuo cum fratre in avunculi domo vitam in tranquilitate et studiis degisse: eum se rebus publicis ullo modo hoc ante tempus immiscuisse nusquam patet. Credere praeterea licet, hisce annis Catonem illam e philosophiae disciplinis voluptatem percepisse, cujus otiique amore se deinde a multis aliis distinxit.

Circa vicesimum aetatis annum, Cato, ut ait Plutarchus, sacerdotale munus in aede Apollinis auspicatus est ([1]). Quodnam vero fuerit munus non apparet, nec quomodo eo functus sit Cato. Apud nullos scriptores, praeter Plutarchum, de hac re mentio fit; quin etiam ipse Plutarchus nil nisi eum Apollinis sacerdotem fuisse affirmat, nec usquam e posteriori Catonis vitae historia, patet huic muneri aliquid momenti tribuendum esse ([2]). Quam ob caussam, quod vanae nobis conjecturae semper quoque ridiculae visae sunt, sufficiat, testante scriptore laudato, affirmare Catonem sacerdotem fuisse. Caeterum, ad res notas transeuntes, ignotas relinquimus.

Avunculi domo relicta, rem suam familiarem sum-

([1]) PLUT. *Cat. Min.* 4.

([2]) Ipse doctissimus DRUMANN modo: »*Die wohnung des Vaters (Oheims?) benutzte er nur so lange bis er zum Priester des Apollo gewählt wurde.*" Laudat etiam PLUT. 4 — praeter hunc autem neminem. Porro de hac re tacet, quod sane etiam mihi liceat.

ma cum sobrietate et modestia instituit Cato ([1]).

Locus autem nobis idoneus apparet de rebus familiaribus ejus quae notae sunt afferre.

Patrimonium habebat Cato argenti Talentorum CXX ([2]), nonnulla quoque praedia in Lucania ([3]); fratris Caepionis morte possessiones ejus auctae sunt ([4]); denique a cognato quodam centum Talenta postea nactus est ([5]). Qui ergo si vir ditissimus non erat, divitias vix parvas hereditate consecutus est, quas semper in amicorum commodum impendebat ([6]), quotidie luxuriam evitans simulque disciplinarum omnium studiosissimus.

Severitatem gravitatemque pueritiae ejus virili aetate auctas fuisse, patet. Cum philosopho Antipatro, Tyrio, tam Stoicorum praeceptis, quam rebus publicis studebat ([7]). In eloquentiam quam privatissime incubuit ([8]), amicis in foro silentium ejus reprehendentibus jlocaliter respondens: »Orationem

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* 4.

([2]) Plut. » » l.l.

([3]) Plut. » » 6 et 20.

([4]) Plut. » » 11.

([5]) Plut. » » 6. Conf. de his rebus etiam Drumann V, 185.

([6]) Plut. » » l.l. fin. „Ἔνιοι δὲ καὶ χωρία καὶ θεράποντας αὐτοῦ διδόντος καὶ βεβαιοῦντος ὑπέθεντο πρὸς τὸ δημόσιον."

([7]) Plut. *Cat. Min.* 4.

([8]) Plut. » » l.l.

publice habebo ubi primum ita mihi loqui licet, ut tacere non praestet (¹)."

Interea, Stoicorum doctrina incensus, si omnibus in rebus frugaliter et modeste se continuo gessit Cato, non negandum est eum aliquando, quod et florentis aetatis est, nullo modo in hisce exercendis virtutibus modum observasse. Ab unguentis diutissime abstinebat (²); nudo capite, pedibus semper iter faciebat (³); postea etiam, nulla indutus tunica, Praetor judicia egit (⁴). Summa autem temperantia semper in victu et vestitu usus est; maxima quoque patientia dum aegrotabat (⁵).

Quae de temperantia ejus diximus, nullo modo affirmare veremur, etiamsi apud Plutarchum locus exstat (⁶), ubi dicitur eum totam fere noctem epulantem vinumque bibentem traxisse, de qua ejus ebrietate apud Plinium (⁷) quoque mentio fit: addimus praeterea, intemperantiae eum in Anticatone accusavisse Caesarem (⁸), quem vero judicem his in rebus integrum fuisse negamus.

(¹) PLUT. *Cat. Min.* 4 fin.
(²) PLUT. » » 3.
(³) PLUT. » » 5.
(⁴) VAL. MAX. III, 6, § 7. Conf. DRUM. V, 17.
(⁵) PLUT. *Cat. Min.* 5 fin.
(⁶) PLUT. » » 6.
(⁷) PLINIUS. *Ep.* III, 12.
(⁸) DRUMANN, III. 760.

Praedicat autem Plutarchus, ipso jam laudato loco atque postea ([1]), Catonis temperantiam, nonnulla istius ejus virtutis praeclara praebens exempla; in Pliniique epistola nil nisi per jocum, e Caesaris libro quasi excerptum invenimus; profecto, si vitam ejus consideramus, intemperantiae lubidinisque accusationem omnis verisimilitudinis expertem esse non negandum est ([2]).

Sobrietati atque frugalitati ejus magna est adjuncta morum simplicitas: ubi de republica agebatur, rigidus et severus erat; luxuria tam publica quam privata ei invisa, erga amicos et necessarios comis et affabilis fuit ([3]) — attamen *mansuetiorem* ex Asia eum reversurum, quin etiam ipso Catone invito, aliquando optabat amicus Curio ([4]).

Caeterum non facile irascebatur, neque, dum puer erat, reconciliabatur ([5]), quamvis postea patet eum quam facillime inimicitiis injuriisque semper veniam dedisse ([6]).

Talis ingenii vir erat Cato anno vicesimo aetatis, tranquilitatis, artium scientiarumque studii amantis-

([1]) Plut. *Cat. Min.* 44.

([2]) Drumann V, 186. »*Ordnung und Gesetz war auch bei Tische sein Wahlspruch...... Bei seiner grossen Mässigkeit war er bald befriedigt u. s. w.*"— *P.* 187. »*Sein ganzes Leben zeugt von der grössten Nüchternheit.*"

([3]) Plut. *Cat. Min.* 21 fin.

([4]) Plut. » » 14 fin.

([5]) Plut. » » 1.

([6]) Plut. » » 37 et 40 fin.

simus, cui hanc ob caussam honores omnes vani imo ridiculi videbantur, gloriam nullius generis sibi acquirire molienti ([1]). Felicitate autem vitae privatae frui non diu amplius ei licuit; memorabile vero est eum primum, veluti privatam ob caussam, bis rebus publicis se immiscuisse.

Studiis atque philosophia quam maxime occupatus, certus factus est Cato, Tribunos pl. quamdam e Basilica Porcia columnam amovere voluisse. Quod fieri non passus est, majorum reverentia incitatus. In forum adolescens primum prodiit, verba contra Tribunorum inceptum maxim cum lepore fecit; ita ut pateat eum tandem caussam obtinuisse, proavi autem monumentum servavisse ([2]).

Quibus argumentis hac in caussa vicerit, ignotum est; apparet vero eum nullo modo superbia inflatum fuisse; nam, ut ait Plutarchus ([3]): „πάλιν ἑαυτὸν εἰς τὴν σιωπὴν καὶ τὴν ἄσκησιν συνέστειλε."

Tanquam orator autem Cato a natura dotibus insignioribus praeditus erat ([4]). Vox ejus plena gravitatis, auctoritatis, fortissima quoque et amoenissima erat; summa cum dignitate atque facilitate verba faciebat,

---

([1]) PLUT. *Cat. Min.* 8 et 39. DRUMANN V, 194.
([2]) PLUT. » » 5.
([3]) PLUT. » » l.l.
([4]) PLUT. » » l.l. CIC. *ad Att.* I, 14.

ita ut, quum oratione tolli diem opus esset, id ei non defatigato facere liceret ([1]).

Forma dicendi ejus eloquentia et doctrina repleta erat ([2]), semperque apud auditores, omnis generis, magni ponderis ([3]). Infra videbimus verbis ejus populum vicissim excitatum et temperatum, senatoribus, magistratibus ab eo persuasum esse; milites, ducis verbis nullo modo animatos, a Catone vero tam ad misericordiam erga victos, quam ad virtutem contra hostes hortatos, ei obedientes ([4]).

Jam vero aderat tempus, quo dotibus, quibus ornatus erat, uteretur.

([1]) Plut. *Cat. Min.* 31. Cic. *de Leg.* III, 18.

([2]) Cic. *Brut.* 31. *Parad. prooem.* I.

([3]) Plut. *Cat. Min.* 5. Cic. *ad. Att.* l.l.

([4]) Plut. » » 21, 28 fin. 33. 42, 44, 51, 52, 54, 59, 62, 63, 65.

CAPUT II.

Inde a bello Gladiatorio usque ad Catonis quaesturam.

Ut jam supra diximus, bis e vitae privatae tranquillitate abreptus est Cato rebus domesticis in rempublicam: primum ad Basilicae Porciae columnam servandam; iterum occasione, quae nunc nobis enarranda est.

Anno vicesimo tertio Catonis aetatis (a. Chr. 72), bellum erupit Gladiatorum, in quod profectus erat quoque Caepio, Catonis frater matruelis ([1]). Cujus ductus amore, eum secutus est Cato, minus, ut apparet, patriae caussa, quam quod cognati absentiam ferre non poterat ([2]).

Nihilominus disciplinae militaris studio et integritate morum unus omnium maxime floruit, ita ut, testante Plutarcho ([3]): „ἐδόκει μηδὲν ἀποδεῖν τοῦ παλαιοῦ Κάτωνος." Qui autem a L. Gellio Poplicola duce, virtutis omnibus praemiis, magna cum constantia ac modestia, se ornari non passus est; se nihil ducis laude dignum praestitisse affirmans. Non patet quam diu Cato in exercitu degerit; quomodo porro,

([1]) PLUT. *Cat. Min.* 8.
([2]) Vide DRUMANN V, 154.
([3]) PLUT. *Cat. Min.* l.l.

Romam redux, vitam usque ad annum 67 egerit, partim tantum notum est.

Hoc tempore autem uxorem duxit Atiliam, Atilii Serrani filiam, quum sponsam Lepidam (¹), ipsi Metellum Scipionem — postea anno 52 consulem (²) — anteponentem, perdidisset. Ex illa duos habuit liberos (³), Porciam filiam atque M. Porcium Catonem, qui in pugna Philippensi cecidit (⁴). Amissa autem Lepida, magno cum dolore tum summa ira incensum fuisse Catonem, testis est Plutarchus (⁵), porro, loco laudato, affirmans eum iujuriam sibi a Metello Scipione illatam, versibus Jambicis, Archilochi ad exemplum, ultum esse, Graeci tamen satirici licentia non usum.

Quidquid est, e Plutarchi ejus vitae Capitis IX initio, sine ullo dubio patet ante annum 67 Catonem Atiliam uxorem duxisse, eo tempore mariti amantissimam, postea autem, ut infra demonstrabimus, ei infidelissimam.

Nunc ad vitae illius priorem historiam revertamur. Circa annum 67 (⁶), secundum legem, nullis nomenclatoribus usus (⁷), tribunus militaris designatus

(1) Plut. *Cat. Min.* 7.
(2) Plut. » » l.l. et 57.
(3) Plut. » » 24. Drum. V, 198.
(4) Plut. » » 73. Vell. pat. II, 71.
(5) Plut. » » 7.
(6) Drumann V, 154.
(7) Plut. *Cat. Min.* 8 et 9. Postea autem sine dubio, caeterorum

est Cato, in Macedoniamque missus est ad M. Rubrium Propraetorem ([1]). Apud quem, exemplo magis quam iussu, milites ad virtutem et moderationem animi exhortabatur, vestitu et victu nullo modo ab inferioribus se distinguens, moribus autem, verbis et ingenio summos belli duces superans; ita ut quam maxime militum amorem sibi pararet ([2]).

Gloriae autem militaris nunquam appetens, Cato officiis tribuni militaris perfunctus, tempus trimestre Pergamum iter faciendo degit ([3]), per quod Athenodorum philosophum sibi amicum conciliavit, cui etiam persuasit ut primum in Macedoniam, deinde Romam se sequeretur ([4]). Quam ob rem, ut ait Plutarchus, sibi tantum tribuit honoris, quantum Pompejus atque Lucullus victoriis suis sibi paravissent ([5]). Eadem fere tempestate, amico parato, fratrem perdidit amatum, morbo in Thracia, in urbe Aenio ([6]) abreptum.

---

ad exemplum, nomenclatoribus usus est Cato: v. CIC. *pro Mur.* 36.

([1]) PLUT. *Cat. Min.* 9.. PLIN. VII, 31. Recte etiam V. Cl. DRUMANN testatur, »*die Zeit ergibt sich aus* PLUT. 10 *fin.— Lucull., welcher* 66 *nach Rom zurückkehrte, stand noch in Asien u. Pompejus kämpfte gegen die Seeräuber.* (V, 154. an. 81).

([2]) PLUT. *Cat. Min.* 9 et 12.

([3]) PLUT. » » 10.

([4]) PLIN. VII, 31. »Uticensis Cato unum ex tribunatu militum philosophum (*Athenodorum*), alterum (*Zenonem*) e Cypria legatione deportavit."

([5]) PLUT. *Cat. Min.* 11 fin.

([6]) Urbs ab Aenea condita, ut ait POMP. MELA. II, 2. Vide etiam STEPHANI *Dict. Hist.*

Quem gravissime aegrotare Cato apud exercitum Thessalonicae certior factus est ([1]). Jam supra vidimus, quanto amore semper fratrem persecutus sit; quo facilius intelligemus, quanto dolore morbi illius nuncius ab eo acceptus sit. Qui, quam citissime omnibus relictis, duobus cum amicis, tribusque cum servis per mare procellosum, maximo cum vitae periculo, Aenium venit. Ibidem autem, ante adventum ejus, jam frater diem obierat supremum; unica quoque remanebat Catoni consolatio, cognatum supremo afficiendi honore. Cujus in memoriam monumentum Aenii erexit ei VIII tal. constans ([2]), haud parvi sane pretio; cui autem non tantum tribueremus momenti, ni postea Caesar in Anticatone ([3]) affirmavisset, eum cribro fratris cineres percolasse, auri in rogo depositi inveniundi caussa; calumnia sane omnis expers verisimilitudinis, tam rebus gestis quam indole Catonis omnino indigna, quare Plutarchus, loco laudato, jure de Caesare addit: „Οὕτως οὐ τῷ ξίφει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ γραφείῳ, τὸ ἀνυπεύθυνον καὶ ἀνυπόδικον ἐπίστευεν."

Exsequiis peractis, praeclarum virtutis et pietatis erga fratrem indicium praebuit, cineres ejus Romam secum abducens ([4]), quamvis in trajicendo mari, mor-

([1]) Plut. *Cat. Min.* 11.
([2]) Plut. » » l.l.
([3]) Plut. » » l.l. fin.
([4]) Plut. » » 15 fin.

tuum secum ferre, fere ex omnium sententia malum esset omen, nec nobis affirmare licet ipsum Catonem ab omni superstitione semper liberum fuisse (¹).

Ab exercitu tandem summo cum honore decedens, Cato, Romam redux, iterum se philosophiae atque rerum forensium studio, cum amico Athenodoro, quam maxime addixit; non modo animi libidinis caussa, sed nunc sane ad ipsi reipublicae officia praestanda (²). Usque ad aetatem ubi ipsi quaesturam petere licuit, summa cum diligentia leges et instituta, ad id munus pertinentia, pernoscere conatus est, adeo ut anno 65 (³), muneris jam peritissimus, quaesturam auspicatus sit.

(¹) CICERO, *de Div.* 1, 32: »Andivi C. Coponium ad te venisse Dyrrhachio; cum praetorio imperio classi Rhodiae praeesset, cumprimis hominem prudentem atqne doctum: eumqne dixisse, remigem quendam e qninqueremi Rhodiorum vaticinatum, madefactam iri minns XXX diebus Graeciam sanguine: rapinas Dyrrhachii, et conscensionem in naves cum fuga; fugientibnsqne miserabilem respectum incendiorum fore: sed Rhodiorum classi propinqnnm reditnm ac domum itionem dari: tum neqne te ipsum non esse commotum: Marcumque Varronem, et M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, *vehementer esse perterritos*: etc."

(²) PLUT. *Cat. Min.* 16.

(³) PLUT. » » l.l. Vide etiam DRUMANN V, 156, an: 87. Conf. IV, 85. an. 43. Q. Catulo et M. Crasso Censoribns.

CAPUT III.

Catonis quaestura - In Asiam iter ejus ad Dejotarum regem - Catonis opera Lucullo triumphus decernitur. -

Una cum nova dignitate suscepta, Catoni finis vitae tranquilitati impositus est, eumque inde ab hoc tempore, haud sine intervallo, turbis et rixis, quibus jam vexabatur republica, implicatum videmus. Libertatis amore, disciplinarum scientiarum et artium studio, honestate morum, modestia, temperantia, hisce omnibus virtutibus inde a pueritia jam enituit; quibus praeclaris naturae et indolis dotibus etiam doctrinam magnam et vitae integritatem adjunxit. Quem contra negare non licet, etiam severitate nimiaque rigiditate saepe incitatum fuisse; quum nulla in re sibi parcere voluntas ei esset, pariter aliorum ne minimae quidem culpae veniam dare vellet. Quippe cui jus et leges semper et pro diis essent, reipublicae autem salus omnibus temporibus solum atque unicum propositum. Quam ob rem, nihil aliud spectans, variis opportunitatibus, nulla erga amicos indulgentia utens, omnes fere viros amplissimos, gravissimos, sibi adversarios reddidit; imprudentia interdum magis civitati nocens quam quidem auxilium ei afferens.

Haec omnia serius ocius e narratione nostra patebunt, hoc loco pluribus non opus est; jam ergo ad Catonis quaesturam describendam transeamus.

In quo munere jam a decessoribus atque collegis ejus delicta permulta omnis generis commissa erant, quibus finem imponere statim summa cum dignitate et patientia molitus est (¹). Adhuc inferioribus quidem, negligentia quaestorum caussa, nimium, in rebus ad munus pertinentibus, potestatis fuerat; nunc autem, Catone quaestore, primum non modo nomine, sed et ipsa re, inferiores facti sunt, quum caeterorum quaestorum licentiam continere non frustra conaretur, quorum publice quoque delicta reprehendebat.

Res autem a Catone incepta quam maxime implicita erat. Omnibus fere invisae erant severitas et integritas ejus: ipse Censor Q. Catulus (²), scriba quodam a Catone jure reo facto, opera Lollii, Catonis collegae, eum in judicio absolvit.

Tanta autem nobilitate Cato his in rebus se gessit, ut quaestoris muneri ipsam consularem dignitatem addiderit (³). Quo quaestore, civium quidam interfectores, quibus a Sulla facinorum praemia e publicis pecuniis data erant, partim pecunias jam acceptas aerario restituere, partim iis porro renuntiare coacti sunt.

(¹) Plut. *Cat. Min.* 16.
(²) Plut. » » l.l. fin.
(³) Plut. » » 17.

Caeterum permulta constantiae, et integritatis ejus exempla in quaestoris munere apud Plutarchum, locis laudatis, invenimus, qui etiam affirmat eum semper primum aerario adfuisse, ultimum autem abiisse. Quem addimus quoque rebus publicis tractandis, a studiis nullo modo abreptum fuisse: »qui ita doctrinae cupiditate flagravit, ut ne in curia quidem dum senatus cogitur, temperaret sibi, quo minus libros Graecos lectitaret (¹);" summa cum modestia autem amictu librum celans (²). Cujus etiam integritate et constantia in officio, auctae sunt sane civitatis divitiae (³); dum boni ejus collegae ad munere rite fungendum excitabantur, mali autem continebantur, adeo ut Plutarchus dicat (⁴), „ἐδίδασκεν, ὅτι τῇ πόλει πλουτεῖν ἔξεστι μὴ ἀδικούσῃ."

Officiis autem perfunctus, neque res publicas ad quaesturam pertinentes curare neglexit, libris haud parvo acquisitis ad id munus pertinentibus utens (⁵). Corruptorum illius temporis morum indicium autem praeclarum est, quod paene quaestoris dignitati renuntiavisset, quum ipse Marcellus, amicus jam inde a pueritia ejus, ad priores reducendos in hoc munus

(¹) Val. max. VIII, 7, § 2.
(²) Plut. *Cat. Min.* 19.
(³) Plut. » » 18.
(⁴) Plut. » » l.l.
(⁵) Plut. » » 18. fin.

abusus paratus esset, qui ipso Catone quaestore, jam fere omnes remoti erant.

Hisce rebus cognitis, nobis affirmare licet, primo in munere publico, Catonem se ipso et proavo clarissimo dignum praestitisse; non ei autem est tribuendum, si pristini quaestoris integritas postea parum reipublicae profuerit.

Ita publicis muneribus perfunctus, Cato iterum ad vitam privatam rediit, sequenti annò (64) in Asiam Minorem profisciscens.

Jam antea, moriente fratre, eum iter ad regem Dejotarum, patris amicum, fecisse, statuit Plutarchus [1]), quem idem, eodem itinere Ephesum, Pompeji salutandi caussa, se contulisse affirmat [2]). Quum vero Pompejus ante annum 62 Ephesum non viderit [3]), hanc rem nobis negare necesse est, praecipue quod hoc ipso anno Romae Cato tribuni plebis munus auspicatus est, ita ut eum una cum Pompejo Ephesi fuisse, fieri non possit. Quo negato, difficile non est verum itineris tempus invenire, quamvis antequam quaesturam auspicaretur, eum, ut supra diximus, hoc iter fecisse testatur Plutarchus. Profecto minime recte: nam anno 63 [4]), Romam redux, Cato ante

(1) Plut. *Cat. Min.* 15.
(2) Plut. » » 14.
(3) Drumann, V. 157. Locus insignis est, cui aliquid addere, vel de quo aliquid negare non licet.
(4) Drumann, V, 158.

portas Lucullum levirum invenit, qui opera Catonis triumphavit [1]); sequenti anno autem Tribunus erat Cato, ita ut itineri ejus in Asia solus annus nobis 64 [2]), restet, quo anno in Syria, Demetrius, Pompeji libertus, patronum exspectabat, eique, testante Plutarcho, ibidem Cato obvium se dedit [3]).

Sine ullo fastu vel ostentatione, summa cum simplicitate profectus est Cato per terras sibi visendas; paucis praemissis servis, prima luce jam iter quotidie ingrediebatur, multo secius se hac in re quam caeteri nobiles Romani gerens. Barbari autem, apud quos saepe sub noctem adveniebat, non semper in simplicitate dignitatem agnoscebant hospitis [5]). Repulsam, quin etiam hanc ob caussam contumeliam, interdum passus est, quas dictis aliquando acerrimis, tamen sine arrogantia ultus est. Sin aliquando e verbis ejus superbia quaedam pateret, superbia est Romani senatoris erga barbaros, qua usus est Cato ad civitatis dignitatem sustinendam, atque postea totam rem saepe ipse irrisui habuit [6]). Patet autem eum, quamvis, ut demonstrare jam supra conati

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* 29.

([2]) Drumann V, 157. »*Es bleibt für diese Reise keine Zeit übrig, als das Jahr nach seiner Quästur.*"

([3]) Plut. *Cat. Min.* 13.

([4]) Plut. » » 12.

([5]) Plut. » » l.l. fin.

([6]) Plut. » » 13 fin.

sumus, minime Ephesi (1), tamen certe in itinere Pompejum vidisse (2), et quamquam amicissime et honorificentissime receptum, mox apparuit presentiam ejus Proconsuli nullo modo gratam fuisse, qui „ὥσπερ οὐκ ἀνυπεύθυνος ἄρχων, ἐκείνου παρόντος, ἐξέπεμψεν ἄσμενος (3)."

Pompejo relicto, ad Dejotarum, Galatiae regem, se contulit Cato (4); qui ejus auxilii in senatu cupidus, multa ei magni pretii dona misit, quae autem accipere recusavit Cato etiam pro amicis (5), hac in re certe iterum quam luculentissime ab aliis Romanis etiam potentissimis, amplissimis, se distinguens. Profecto, nunquam et nullo modo commodi sui rationem esse habendam, ei semper vitae lex erat, quam ob rem postea eum videbimus Pompejo affinitatem suam recusantem; e legatione Cypria etiam nihil sibi ipsi reportantem, qui contra semper ad alios adjuvandos paratus erat, ut jam supra ostendimus (6).

Accurate statuere non licet, quamdiu eodem in itinere degerit Cato, qui, jam sequenti anno (63),

---

(1) Mirum est V. Cl. LIMBURG BROUWERUM, I, 279, sine ulla inquisitione Plutarchi de hac re sententiae adhaesisse. »*Bij eene ontmoeting, die hij, op eene reis in Azië, te Ephesus met Pompejus had*, etc."

(2) DRUMANN, V, 157.

(3) PLUT. *Cat. Min.* 14.

(4) PLUT. » » 15.

(5) PLUT. » » l.l.

(6) Vid. supra, p. 20.

certe Romam redux fuit. Constat enim hoc anno eum levirum L. Lucullum, jam frustra per tres annos triumphum petentem, ante urbis portas invenisse, qui uxorem duxerat Serviliam [1]) et jam hujus fratris matruelis Catonis opera, rerum diu antea egregie actarum sera accepit praemia [2]). Quibus rebus peractis, Cato ruris tranquillitatis cupidus, in Lucaniam, procul negotiis cum amicis doctissimis tendere statuit [3]), tribunatum petere constanter recusans. Qua autem tranquillitate quam maxime desiderata frui, ita ut sequenti Capite ostendere conabimur, nullo ei modo licuit.

(1) Supra p. 14, an. 5. DRUMANN IV, 174.
(2) PLUT. *Cat. Min.* 29. LUCULL. 37.
(3) PLUT. » » 20.

CAPUT IV.

Cato tribunitiam potestatem petit — Murenam accusat — Catilinae conjuratio — Inimicitiae inter Caesarem et Catonem — Alterae Catonis nuptiae.

Illo tempore jam infausta erat rerum Romae conditio. Dum procul urbe a Pompejo civitatis potestas victoriis ejus aucta erat, intestinis turbis et rixis vexata et labefactata erat respublica. Proconsuli ipsi, in Asia manenti, nihilominus magna per amicos erat Romae potentia, ita ut jam civium libertati ab eo periculum adesset. Interea scelerissimus Catilina, forsitan se ipsum alterum reddere Sullam cupiens, clam conjurationem paravit; pro reipublicae autem salute vigilabat Cicero Consul, dum Caesar, loco praetorio, opportunitatem manebat, astutia et vigilantia praecipue plebis favorem sibi acquirire moliens.

Civitati autem anni 63 initio nullum imminens adesse periculum apparebat, quam ob rem, ut jam supra diximus, cum amicis librisque Cato, nulla providens mala, in Lucaniam se contulit ad tranquillitatem procul turbis petendam.

Jam in itinere autem ei obvius erat Q. Metellus Nepos, a Pompejo missus, ut Romae tribunatum

peteret, qua re proconsul potentiam suam auctam fore sperabat. Quod mature Catoni patebat, qui statim Romam redire statuit, amicorum autem hortatu, paucos modo dies in Lucania mansit, atque Romam redux una cum competitore tribunatum ad hunc Pompejumque oppugnandum petiit [2]).

Palmam tulit virtus ejus. Initio optimates, haud ipsorum commodi rationem ducentes, parum petitionem ejus firmavere ([3]), qui vero quum intellexissent, contra Pompeji vim Metellique audaciam, nulla ambitione excitatum, urbis autem libertatem defendere moliri Catonem, eodem tempore quo Metellum, eum tribunum designaverunt ([4]). His rebus peractis, mox Catonem in rixis et turbis immixtum videmus. Ut ipse de civibus ait: »habebant luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudabant divitias, sequebantur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis praemia ambitio possidebat;" ([5]) non mirum ergo eum quam diligentissime haec omnia vitia oppugnavisse.

Quod ad faciendum primam comitiis consularibus eodem anno occasionem adeptus est. Hisce comitiis,

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* 20.
([2]) Plut. » » l.l. fin. Cic. *pro Mur.* 38.
([3]) Drumann V. 159.
([4]) Plut. *Cat. Min.* 21.
([5]) Sall. *Catil.* 52.

Consule Cicerone, D. J. Silanus et L. Licinius Murena consules designati sunt; hunc autem competitor ejus Servius Sulpicius, cum tribus subscriptoribus, inter quos Catonem invenimus, ambitus accusavit ([1]).

Murenam jam a Q. Hortensio atque M. Crasso defensum, Cicero Consul summa cum eloquentia tuitus est, quem judices absolverunt ([2]); ex oratione tamen pernota, a Cicerone habita, nobis facillime efficere licet, quantum illo tempore in iudicio, severitati et Catonis justitiae studio momenti tributum sit([3]). Quem autem in aliis deprecandis nimium severum fuisse, ostendere molitus est jucundissimus orator, qui virum ipsum, uno loco excepto ([4]), aggredi nolens, Stoicorum quae sequbatur praecepta irrisui habuit ([5]). Verbis acerrimis quidem, quibus usus est Cicero, non patet Catonem iratum fuisse: respondere certe Consulis jocis atque facetiis eo indignum fuisset; non mirum ergo eum se ad amicos convertisse dicto ejus

---

([1]) Eodem tempore (PLUT. *Cat. Min.* 21) *levirum* Silanum, non accusavit. Cur? Non patet. Varias facere de hac re conjecturas licet. Inter alia, affirmat Cl. v. LIMBURG BROUWER, Vol. I. p. 287. »*Hij* (CATO) *verbond zich door eenen eed om elk, die op deze wijze (van omkooping) dit ambt verkreeg te zullen vervolgen met uitzondering alleen van* SILANUS, *omdat deze zijn zwager was!* Res Catone omnino indigna!

([2]) Vide DRUMANN V. 159. Conf. IV. 186—192.

([3]) CIC. *pro Mur.* 2, 3, 6, 25, 27, 28, 29.

([4]) CIC. » » 36. »Quod habes nomenclatorem, in eo quidem fallis et decipis."

([5]) CIC. » » 30, 35.

pernoto: »Quam ridiculum habemus consulem!" (1). Caeterum, Ciceronem sibi amicum habebat, qui jam ei gratias quam maximas referebat, quod opera ejus Clodius urbem relinquere coactus erat. »Non mihi," autem respondit Cato, »sed reipublicae tibi gratias agere opus est, quod omnes res gestae meae muneraque quibus perfunctus sim, modo ad unicum civitatis commodum referuntur (2)."

Eodem anno, non diu post Murenam absolutum, Catilinae conjuratione perturbata est cuncta civitas. Tota res notior est, quam ut hoc loco prolixe de ea agamus, Catonis tantum partes nobis enarrare sufficiat. Quodsi Ciceronis vigilantia vana sunt reddita conjuratorum incepta, solum Catonis animi constantiae tribuendum est, quod poenas dederunt. Nam hac in re timidior erat Consul, more suo; Caesari Praetori incepta forsitan conjuratorum non ignota erant, quam ob caussam ambo viri gravissimi nimia erga damnandos lenitate usi sunt (3). Indignatione vero incensus, reipublicae salutem unice spectans, nemini ergo parcens, verbis luculentissimis Cato in Senatu hanc habebat orationem (4):

---

(1) Plut. *Cat. Min.* 21.

(2) Plut. *Cat. Min.* 19.

(3) Plut. » » 22, 23. Cic. *Or. in Catil.* Sall. *Cat.* 51 Vell. Pat. II, 35.

(4) Sall. *Cat.* 52. Plut. *Cat. Min.* 23. Dio Cass. XXXVII, 36. App. II, 6.

» Longe mihi alia mens est, Patres conscripti, quum res atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in illos statuamus, consultare. Nam caetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia implores: capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortalis, vos ego adpello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam rempublicam, fecistis; si ista, cuiuscumque modi sint, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, neque de sociorum iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est. Saepenumero, Patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortalis ea caussa advorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen respublica firma erat; opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium po-

puli Romani sit: sed, cuius haec cumque modi videntur, nostra, an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus. Quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur, eo respublica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii: ne illi sanguinem nostrum largiantur, et, dum paucis scelestis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et composite C. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo falsa existumans ea, quae de inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis, aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in Urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert, me mihi atque vobis timere. Quare, quum de P. Lentulo caeterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae

et de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paullulum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita [res] esset, multo pulcherrumam eam uos haberemus: quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior nobis copia, quam illis, est. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere; quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium; animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his uos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bouos et malos discrimeu nullum; omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere uobilissumi cives patriam incendere: Gallorum geutem, infestissumam nomini Romano, ad bellum accersiunt: dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiam uunc, quid intra moenia deprehensis hostibus faciatis? Misereamini censeo: deliquere homines adulescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Nae ista vobis mausuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in mi-

seriam vertet. Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et molitia animi, alius alium exspectantes, cunctamini. Videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis saepe periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt: ubi socordiae tete atque ignaviae tradideris, nequicquam deos implores; irati infestique sunt. Apud maiores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit; atque ille egregius adulescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit. Vos, de crudelissumis parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet vita caetera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si diis aut hominibus umquam ullis pepercit: ignoscite Cethegi adulescentiae; nisi iterum iam patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Coepario loquar? Quibus si quicquam pensi umquam fuisset, non ea consilia de republica habuissent. Postremo, Patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis. Sed undique circumventi sumus: Catilina cum exercitu in faucibus urget: alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes: neque parari

neque consuli quicquam occulte potest. Quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum, supplicium sumendum."

Qua oratione adducti, Catonis fere omnes senatores atque consulares sententiam laudabant, »Senati decretum quoque fit, sicuti ille censuerat (1)."

Eadem occasione primum, judicio nostro, publice inimicitiae inter Caesarem atque Catonem ortae sunt, quibus porro illius regnandi cupiditas, hujus libertatis amor finem ponere non sivit.

Caesarem conjurationis participem fuisse, affirmare non verebatur Cato (2), qui in Senatu epistolam quamdam a Servilia sorore scriptam, a Caesare acceptam, ei tradidit verbo acerbissimo: »Accipe, nebulo (3)!"

Quodsi, ut supra vidimus, in conjuratorum poenis

---

(1) Sall. *Cat.* 53. Cic. *ad Att.* XII, 21. Plut. *Cat. Min.* 23 fin.

(2) Drumann III, 173. sq. *Tullii*, 7, § 40.

(3) Plut. *Cat. Min.* 24. „Κράτει μέθυσε." — quod certe hoc loco non »*ebrie*" — Nam: »»Unum ex omnibus Caesarem ad evertendam Rempublicam sobrium accessisse," M. Catonis verbum est." Suet: *Caes.* 53.

constituendis in Senatu Catonis fuit contra Caesarem victrix sententia, longe aliter apud plebem res se habebat. Hanc largitione atque magnificentia sui amantissimam reddiderat Caesar, cui resistere vel nunc vel postea nemo jam poterat (1).

Quem ad ipsum oppugnandum, ejusque apud plebem potentiam frangendam, Cato legis fuit lator, qua populo a Senatu magna frumentaria largitio quotannis decreta est (2); frumentatio 1250 Tal. pretii, ipsius Catonis apud senatum ponderis praeclarum indicium. Vana autem fuerunt ad Caesarem continendum incepta ejus (3); exeunte anno auctum erat reipublicae libertatis periculum, ita ut se tribuno, cogeretur sequenti anno contra Caesaris vim Pompejique conjunctam, fere sine amicis, libertatem tueri quod ad perficiendum contentiones acerrimae nobis sequenti Capite enarrandae sunt. De alia re vero primum aliquid dicendum est. Jam supra (4), Catonem Atiliam quamdam uxorem duxisse vidimus, duorum liberorum matrem, quam autem postea, lubidinis ejus caussa, repudiare coactus est. Deinde, quo vero tempore accurate non

(1) »Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur, Caesarianus erit."
Mart. V, 14.

(2) Plut. *Cat. Min.* 26.

(3) Drumann V, 159—60.

(4) P. 26.

patet (1), novis nuptiis conjugem habebat Marciam, L. Marcii Philippi consulis filiam (2), quae ei tres peperit natos. Deinde autem, consentiente marito,

. . . . »alios fecunda penates
Impletura datur (3),"

quae apud Hortensium vitam degit (4), quo mortuo (a. 50), tandem iterum a Catone recepta est (5).

Quid de hac re amplius dicamus? Licuerit profecto permultas facere conjecturas, atque disquisitionem amplissimam facere; quod autem vitam describimus Catonis, non de moribus Romanis agimus, tantum scriptores laudamus insigniores, qui de hac re quaedam dicunt, apud quos, qui velit de conditione feminarum Romanarum plura, quam libello nostro aptum foret, invenire potest.

Classici hac de re loci sunt: Plut. Cat. Min. ll. ll., id. Compar. inter Lycurg. et Numam, Cap. III; Dio Cass. XVIII, 44; Strabo XI, 9, 1; Appian: l.l.; Tertullian, Apoleg. Cap. XXXIX, p. 327;

---

(1) Ante annum 56 certe, quo tempore Catonem Munaciumque inter se conciliavit Marcia. Plut. *Cat. Min.* 37 et 39 fin. Drumann, V, 198. IV, 217.

(2) Plut. *Cat. Min.* 25 et 39. Lucan. 2, 329. App. 2, 490.

(3) Lucan. *Phars.* II, 331.

(4) Plut. *Cat. Min.* 25.

(5) Lucan. II, 326. sqq. Etiam Oudendorpii com. ad l.l. Drumann V, 192 et 198 et III, 107. N°. 9.

Haverk. Salvian. de Gubern. Dei, p. 159 Ed. Rittershus. E quibus omnibus hoc efficiendum videtur, non veterem fuisse legem Numae, ut Plutarchus altero loco affirmat, sed antiquam consuetudinem Romanam, quae hoc ita fieri permitteret. Si enim ipsum jus Romanum hoc concederet, vestigia hujus rei in Corpore Juris apparerent, quae nulla inveniri videntur, nec in reliquis libris ad hanc rem pertinentibus. Leges autem Numae, ut novimus, fere fabulosae sunt, et Plutarchus saepius nimium iis tribuit. Non unice autem apud Romanos talem morem invenimus, sed in Lycurgi legislatione e. g. similia occurrunt, hoc adeo cum discrimine, ut apud Romanos, teste Plutarcho [1], matrimonium solveretur, apud Spartanos contra maneret. Permisit enim Lycurgus, ut si quis liberos ex uxore sua non posset procreare, mutuo consensu, alium praestantem ad eam induceret virum, ut ita pulchri et fortes patriae nascerentur liberi [2]. Quod tamen institutum, quominus magnopere mutuae fidei morumque noceret honestati, tum reliqua Lycurgi legum effecit severitas, tum mira quae dudum Spartae obtinuit morum simplicitas: mutuus autem consensus disertis verbis semper exigebatur, ita ut ipsa lex quodammodo remedium secum ferret [3].

---

(1) Plut. *Comp. inter Lyc. et Num.* 3.

(2) Plut. *Lyc.* 15. Xenoph. *de Rep. Laced.* I, 7.

(3) Cf. praeter locos laudd. Plut. *Comp. Lyc. et Num.* l.l.

Porro apud eosdem »πάτριον ἦν καὶ σύνηθες, τρεῖς ἄνδρας ἔχειν γυναῖκα καὶ τέσσαρας, ποτὲ δὲ καὶ πλείους, ἀδελφοὺς ὄντας, καὶ τέκνα τούτων εἶναι κοινά (¹)."

De ipsis Atheniensibus antiquissimis temporibus, simile quid narratur a Sopatre: »κατὰ τοὺς Ἀττικοὺς νόμους ἐξῆν τοῖς ἀνδράσι τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας ἑτέροις ἐσκομίζειν (²)."

De Tapyris simile quid narrat Strabo l.l. et Romanorum cum iis componit morem. Quid, quod in antiquo adeo jure Germanico, in quo ceteroquin longe major foeminarum dignitas, quam umquam apud antiquos fuit populos, hanc institutionem invenimus in *Bockumer Landrecht*, § 52: »*Ein Mann, der ein echtes Weib hat, und ihr an ihren freulichen Rechten nicht genug helfen kann, der soll sie seinem Nachbar brengen, und könnte derselbe ihr nicht genug helfen, soll er sie sacht und sanft aufnehmen und thun ihr nicht wehe und tragen sie über neun Erbthüme und setzen sie sanft nieder und thun ihr nicht wehe und halten sie daselbst fünf Uhren lang und rufen Wapen! dass ime die Leute zu Hülfe kommen, etc.* (³)."

(¹) Polyb. *Exc. Vatic.* XII, 6. Cf. *Philol. Mus.* II, p. 70 et Hermann, *Griech: Staatsalterth*,. p. 112.

(²) Meurs, *Them. Att.* I, 7. Cf. Plut. *Sol.* 20, ubi de ἐπικλήροις idem narratur, quod longe credibilius ob caussas tum religiosas tum civiles.

(³) Cf. Wachsmuth, *Hellen. Alterthüm.* II, 2, p. 596. ed. prior.

Sed ut ad Catonem unde digressa est nostra redeat disquisitio: iniquissimum in modum, ut solent, hanc ob caussam eum aggressi sunt Patres Ecclesiae, imprimis Tertullianus et Salvianus ll. supra laudd. qua de re operae pretium est audire V. Cl. Luzacium ([1]): »Et tamen plura hac de re dici possent", ait, »quibus vanitas accusationis Tertullianeae, ut et declamationis Salviani in Catonem, non Censorium (ut illi existimant), sed Uticensem demonstretur.

»Nam primum, quod Marciam uxorem petenti Hortensio, in matrimonium concesserit vir gravissimus, non sua ipsius auctoritate, sed auctore patre Marciae Philippo, obsecutus est seu veteri Numae legi, si fides Plutarcho in Compar. Lyc. et Num. T. I, p. 76 E., seu antiquae Romanorum consuetudini, secundum quam, teste Strabone, L. XI, p. 515, si quis idoneum liberorum numerum e faecunda conjuge suscepisset, illam, tamquam fertilem agrum serendo aptum, cedebat alteri viro, qui orbus esset et prolem habere cuperet. Nos quidem nec Numae legem, quae nusquam alibi (quod sciamus) memoratur, nec consuetudinem antiquam, si illa vere Romanis fuerit, uti ait Strabo, defendere conabimur, ne cum Plutarcho quidem, qui illam tamquam Reip. utilem et sapientiae consentaneam, satis aperte probare

([1]) *Lectt. Attic.* p. 305. sq.

videtur: sed Romani a Tertulliano et Salviano accusandi erant, non solus Cato, qui mores gentis suae, probante Marcio Philippo socero, pluribusque viris gravissimis non vituperantibus, sit secutus. Quin accusandi erant plures populi, non soli barbari Tapyri, de quibus eandem consuetudinem refert Strabo, sed continentissimi ac castitatis studiosissimi Spartani, ipse ante alios prudentissimus Spartanorum Legislator Lycurgus. — — —

»At vero, quod petenti Hortensio dedit Cato, non hoc fuit ut unam alteramve noctem cum Marcia transigeret, sed ut eam legitimo sibi matrimonio jungere liceret, utque a Catone dimissam pater Philippus Hortensio desponderet, desponsam pro uxore daret, liberorum quaerendorum caussa. Ergo verum divortium fuit, quod bona gratia (quae tum temporis frequens erat Romanorum consuetudo), cum Marcia Cato fecit. Increpet itaque quisquam, qui cum Tertull. faciat, licentiam divertendi, et bona quidem gratia divertendi, quae isthac aetate invaluerat, apud Romanos, increpet importunam Hortensii cupiditatem; facilem nimis dicat Catonem, qui hujus petitioni cesserit, non sponte quidem sua, sed ex arbitrio soceri Philippi in cujus manu ac potestate filia adhuc Marcia erat et ad quem judicium de ejusmodi petitione Cato rejicerat. Sed abstineat a maledictis et probris, cogitans simul atque in mentem revocans, Marciam

non fuisse ex earum matronarum numero, quae viris conveniebant in manum, sed uxorem *tantum* fuisse, ex illa nimirum conjugum specie, quarum solummodo *usum* mariti habere videbantur, quaequae in patria manentes potestate, hunc *usum*, jusque adeo usucapionis, dum per trinoctium abessent, interrumpere aut intervertere consueverant, quo facilius istiusmodi matrimonium dissolveretur. — Imo neque Marcius Philippus illud divortium, consentiente Catone factum, pro turpi facinore habuit, quod indignum esset viro gravi, neque pro castitatis suae nocumento Marcia, quae, defuncto fatis Hortensio, ad pristinum maritum rediit, quem, apud Lucan. II, 341, hoc adloquitur sermone:

> — »Da foedera prisci
> Illibata tori. Da tantum nomen inane
> Connubii: liceat tumulo scripsisse *Catonis*
> *Márcia:* Nec dubium longo quaeratur in aevo
> Mutarim primas expulsa an tradita taedas."

»— Quae idcirco, licita apud Romanos divortiorum consuetudine, et transeunte in stabile cum Hortensio matrimonium Marcia, — quae, inquam hic *lenocinii* est umbra? et quam vana sunt ista Tertulliani, etc."

CAPUT V.

Cato tribunus plebis - Pompejus Romam redux - Dissensiones inter Pompejum Catonemque a Caesare auctae - P. Clodius absolutus est - Lex agraria a Pompejo, deinceps a Caesare lata - Cicero exsul - Catonis in Cyprum legatio-.

Catonis tribunatus initio jam infausta aderant omina. Ut jam supra diximus, apud plebem Caesari permagna erat potestas; optimates ipsi Catilinae conjuratione veluti adhuc perturbati haesitabant; Senatus Pompeji vicissim auctoritate atque turbis intestinis commotus erat, ita ut Cato solus, fere nemine constanter adjuvante, civitatis libertatem salutemque servare moliretur. Qui singulari magnitudine animi ac incredibili virtute hisce rebus in arduis enituit (¹). Quod praeclare testatur auxilium ei a Murena Consule, quem modo paucis ante mensibus accusaverat, allatum, fidesque collegae ejus Q. Minucii Thermi (²), qui, Metello et Caesare obstantibus, impavidus et constans, quotiescunque aderat periculum, Catonem secutus est.

(¹) Plut. *Cat. Min.* 27. Cic. *pro Sext.* 29.

(²) Plut. et Cic. ll. ll. Drumann V, 160.

Qui tribuni pl. munere continuis in rixis, aliquando adeo sanguineis, perfunctus est. Metellus enim, collega ejus, legem tulit qua Pompejo Romam cum copiis suis revertere permissum foret, in qua re sibi fautorem habebat Caesarem praetorem. Summa cum humanitate, quin etiam precibus (1), Metellum, quominus legem ferret, movere conatus est Cato; ille autem, superbia tumescens, affirmare ausus est, »se quoque Senatu invito Pompejum reducturum (2)!" Quibus verbis tam iratus est Cato, ut »se vivo Pompejum cum copiis Romam nunquam reversurum!" exclamaret.

Interea, copiis coactis, Caesar discordiae manebat eventum. Festinanter ortum est etiam inter Caesaris Metellique clientes, atque Catonis defensores optimates certamen (3). Apud Plutarchum, l.l. de his ipsis rixis pluribus agitur, nobis autem enarrare sufficit, eventu legem non latam, Metellum ex urbe pulsum, Caesaris autem auctoritatem auctam potius quam fractam fuisse (4).

Hisce autem contentionibus magnam sibi Cato gloriam paraverat (5), qua autem, more suo, summa

(1) Plut. *Cat. Min.* 26. Drumann, l.l.
(2) Plut. » » 11.
(3) Plut. » » 27.
(4) Conf. Drumann, III. 180.
(5) Plut. *Cat. Min.* 29.

cum modestia usus est. Attamen constanter Pompeji ad augendam potestatem incepta oppugnavit, legato ejus Pisoni usque ad Pompeji adventum comitia consularia differre molienti coram Senatu resistens ([1]). Qua tempestate Pompejns, vel Catonis oppositione perturbatus, vel se ipsum contra Caesarem confirmare sperans, frustra sibi Catonem conciliare conatus est. Quod ad perficiendum, ad eum utriusque amicum Munacium Plancum misit, duas Catonis cognatas, sororis filias sibi filioque nxores rogaturum ([2]). Facile intelligitur, quomodo a Catone hic nuntius acceptus sit. »Apage!" inqnit, mi Munaci, Pompejoque dic, Catonem non decere patriae inimico fidei pignora dare ([3])."

Caesari sane res gratissima, qua inter Catonem Pompejumque auctae sunt inimicitiae, amborum autem vis debilitata, dum sibi liceret interea suas opes confirmare, deinde cum Pompejo se conciliare. His rebus praeteriit Catonis tribunatus annus, sequentis autem anni (61) jam initio, Romam redux

([1]) PLUT. *Cat. Min.* 30. DRUMANN. V. 160.

([2]) DRUMANN. V. 162. an. 17. »*Pompejus hatte sich* 62 *von Mucia geschieden* (4. *Th.* 557); *sein ältester Sohn zählte aber noch nicht* 20 *Jahr, bei ihm konnte also nur von einer Verlobung die Rede sein; dass*: 558, PLUT. CAT. 30, *Vgl.* 45, *ist ungewiss, ob es sich um Cato's Nichten oder Töchter handelte;* POMP. 44, *nennt er die ersten, so auch* ZONAR: 10, 45.

([3]) PLUT. *Cat. Min.* 30.

erat ipse Pompejus, qui ante portas, exercitu dimisso, sedebat, Caesaris absentia, cui festinanter in Hispaniam revertendum erat, sibi summam parare in civitate potestatem sperans. Ciceroni autem, patri patriae, haud magna erat potestas.

Qui, longe aliter quam Cato commodi sui rationem ducens, Pompejum, Caesarem, Catonem, omnes potentissimos viros sibi amicos reddere conatus est; Catilinae ab amicis perterritus quoque nihil, cui aliquid inesset periculi, facere statuit. Quare semper haesitans, semper dubitans, ubivis salutem petens, potestatem viderat suam imminutam, praeclaras animi dotes neglectas, sibi ipsi nullam prorsus potestatem relictam, paucos vero superesse amicos. Eadem tempestate de corruptis civitatis moribus testimonium affert sceleratissimum factum, atque non minus sceleratissima P. Clodii a judicibus absolutio. Quum enim Bonae Deae violavisset sacra, quam ob rem sacrilegii reus factus est, »boni viri," ut ait ipse Cicero [1], »precibus Clodii removentur a caussa; operae comparantur; nosmet ipsi, qui Lycurgi a principio fuissemus, quotidie demitigamur, instat et urget Cato." Addimus e sequenti Ciceronis epistola [2]: »operae Clodianae pontes occuparant; tabellae

(1) Cic. *ad. Att.* I, 13.
(2) Cic. » » I, 14.

ministrabantur ita ut nulla daretur *uti rogas*," et quam facillime intelligitur, jam eo quidem tempore constantem Catonem, Ciceronis judicio, »tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli faece (¹)" verba fecisse. Pisoni consuli Clodii hac in re fautori, »mirificum," ut ait etiam Cicero, »Cato convicium facit; si id est convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis (²)." Clodium etiam eum sibi vehementer a se alienasse per se patet; postea quanti ejus inimicitiae momenti fuerint, apparebit. Eodem quoque tempore Pompejum iterum, pro amico Afranio consulatum petentem (³), oppositione frustra in se irritavit. Eodem anno exeunte equites etiam Romanos »quos habuit sui amantissimos (⁴)," ita vexavit ut inimicorum copias augerent, non diu post ad ipsum Caesarem se applicans (⁵), qua re hic majorem sibi paravit auctoritatem, dum Catonis apud fere omnes potestas minuebatur; quod hac in re profecto partim imprudentiae ejus tribuendum est, qui quamvis equitum ordinis retinendi caussa facienda jactura esset (⁶), nihilominus se ipsum primum iis inimicum praebuit, qui, a Se-

(¹) Cic. *ad. Att.* II, 1.
(²) Cic. » » I, 14.
(³) Plut. *Cat. Min.* 30. Drumann V, 163.
(⁴) Cic. *ad. Att.* I, 18.
(⁵) Drumann III, 210.
(⁶) Cic. *ad. Att.* l.l.

natu reditus agrorum Asiaticorum mitigationem peten tes, Catone recusante, sine ullo manebant responso.

Consule Afranio (a. 60), Romae res publicae impliciores evaserunt. Caesar ex Hispania reversus, in triumphi petitione ([1]) Catonis opera repulsam tulit; qui oratione diem traxit, ita ut SCtum fieri non passus sit; ipsi triumpho non multum inerat momenti; sed procul dubio inimicitiae inter Caesarem et Catonem eadem opportunitate auctae sunt.

Pompejus interea per amicum L. Flavium legem tulit agrariam, qua veteranis suis virtutis praemia dare cupiebat, qui autem iterum a Lucullo, Cicerone et Catone oppugnatus est ([2]). Non mirum est ergo denique Pompeji nuptiis cum Caesaris filia ([3]) (a. 59), inter duos potentissimos viros foedus factum fuisse, quo jam civitati perturbatae maximum periculum imminebat.

Quae Pompejo minime, Caesari vero Consuli facile efficere licuit. A quo lex agraria altera lata, frustra a Catone cum suis oppugnata, a Senatu comprobata est ([4]); non autem sine contentionibus gravissimis, rixis sanguineis immixtis, quibus magnum Catoni etiam vitae aderat periculum ([5]), qui

([1]) Plut. *Cat. Min.* 31.
([2]) Plut. » » l.l. Drumann IV, 490. V. 163.
([3]) Plut. » » l.l.
([4]) Plut. » » l.l. fin. et 32.
([5]) Plut. » » 32.

tandem, Cicerone suadente, omnium ultimus, jurejurando legi fidem polliceri coactus est ([1]).

Secutus est Senatus decretum, quo Caesar Imperator, amplissimo gradu dignitatis collocatus; in Galliam atque Illyriam missus est ([2]), Romae consulibus designatis Pisone et Aulo Gabinio, dum Catoni jam iterum tempus videbatur opportunum, Caesare absente, ad Rempublicam servandam. Vehementer jam ante SCtum deploraverat ipsi Caesari tantam fuisse tributam potentiam ([3]), cui absenti verendum erat, ne Cato apud plebem plurimum valeret; quod imperatoris inceptis, procul dubio, infestissimum fuisset, et praeterea ne Cicero, a Catone pro patriae salute incensus, ipsi periculosus evaderet.

Antequam ergo urbem relinqueret, Caesaris opera Cicero, pater patriae quidem! exsulis passus est ignominiam, dum Catonem honorifice lex amovit a Clodio lata, qua invitus Cyprum legatus missus est ([4]) (a. 58). Priusquam autem iter in Cyprum susciperet Cato, Ciceroni persuasit ([5]) ut Romam relinqueret, qui postea hujus ad exemplum se fecisse gloriatus est ([6]). Non autem magno sine tumultu ipse

([1]) Plut. *Cat. Min.* 32. fin.
([2]) Plut. » » 33.
([3]) Plut. » » l.l. *Pomp.* 48. *Caes.* 13 et 14. Appian. *p.* 435.
([4]) Plut. *Cat. Min.* 34. Cic. *pro Sext.* 28. Vell. Pat. II. 45.
([5]) Plut. » » 35. init.
([6]) Cic. *pro Sext.* 29 fin.

Cato profectus est. In Senatu quam vehementissime legem a Clodio latam oppugnavit, qua insidiae, ut ait, sibi paratae essent, nullus autem honos." Cui Clodius tamen, superbia intumescens, responsum dare ausus est. »Sit tibi legatio poena, quum honorem eum accipere nolis (1)!"

Pro poena etiam sane Catoni legatio erat. Nam jussus est regem infelicem Ptolemaeum expellere, omnia ejus bona publicare, exsulesque Byzantinos in patriam restituere (2). Quod ad perficiendum paucae modo naves, nullae copiae, scribae autem duo ei dati sunt (3)! Quomodo, his omnibus obstantibus, hae difficillimae res a Catone peractae sint, notum est (4). Ptolemaeus, nulla spe relicta salutis, sibi mortem conscivit, et Cato »Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia et sanctitate in urbem deportavit (5)" ita ut ei Romam reduci »ex nave egredienti (a. 56) (6), consules et caeteri magistratus et

(1) PLUT. *Cat. Min.* 34. DRUMANN II, 265 de hac re ait: »*Cato gehorchte mit vielem Eifer, und widersprach so ernstlich, als Cicero später das Gesetz angriff, dass man glauben könnte, der Zwang sei ihm durchaus nicht lästig gewesen*, »porro An. 41. »*Er wusste auch sonst wohl mit dem strengen Rechte ein Abkommen zu finden.*"

Haec de viro quidem »diis quam mortalibus virtute propiore!"

(2) PLUT. *Cat. Min.* l.l. fin.

(3) PLUT. » » l.l.

(4) PLUT. » » 35, sqq. CIC. *pro Sext.* l.l.

(5) VAL. MAX. IV, 1, § 14. Id. 3. VELL. PAT. l.l.

(6) DRUMANN V, 166. Conf. PLUT. *Cat. Min.* l.l.

universus S. P. Q. R. officii gratia praesto fuerit (1)."

E quo itinere si populo Romano magnas reportavit divitias, sibi autem aliquid longe auro et argento melius paravit, amicum videlicet Zenonem, quem, ita ut prius e Macedonia Athenodorum, nunc Cypria legatione secum Romam reduxit (2).

Ibidem eum praemium praeclarum manebat virtutis et integritatis. Quamquam tabellae ab eo de rebus gestis de pecuniisque collectis in itinere amissae essent (3), tanta erat apud populum Senatumque integritati Catonis fides, ut, rationibus ab eo redditis, nihil amplius de tabellis inquirere ipsi Catonis inimici in praesentiarum ausi sint (4), cui, nemine recusante, antequam ad aetatem pervenisset praeturae honos tributus est (5), ab ipso autem Catone

(1) Val. max. VIII, 15, § 10. addit. »Non quod magnum pondus auri et argenti, sed quod M. Catonem classis illa incolumem advexerat, laetatus (populus)." Vix crediderim! Vide etiam Plut. *Cat. Min.* 39.

(2) Plin. *H. N.* VII, 31 (30). *Conf.* etiam XXXIV, 19.

(3) Plut. *Cat. Min.* 38.

(4) Postea eodem autem anno, *repetundarum* eum accusavit Clodius. Vide plut. *Cat. Min.* 45. Drumann V, 168, II, 267. De accusationis tempore dicit V. Cl. drumann l. l. an. 64. »*Er* (*Cato*) *sprach nicht wie* Plut. *Cato* 45 *annimmt*, *nach der Prätur*, *welche er im Jahre* 54 *verwaltet*, *sondern im Jahre* 56. Dio 39, 23. Senec: *Controv*: 5, 30.: M. Cato, Pulchro objiciente, furtorum crimen audivit, quae majus indignitas esse potuit illius saeculi, quam aut Pulcher accusator, aut reus Cato?""

(5) Plut. *Cat. Min.* 39.

recusatus, affirmante, iniquum esse id quod nulli tribueretur alii, sibi decerni ([1]), cui tamen privato, Consule socero ejus Philippo, magna in civitate erat potentia ([2]). Quomodo hac ad patriae salutem usus sit, sequenti videbimus capite.

([1]) Plura de legatione ejus inveniuntur apud PLUT. ll. ll.; PLIN. *H. N.* VIII, 74. XXIX, 30. SENEC. *Controv.* VI, 4. DIO CASS. XXXIX, 23. Vide etiam DRUMANN, qui hos omnes laudat, V. 167—8.

([2]) PLUT. *Cat. Min.* 39. fin.

CAPUT VI.

Inter Catonem Ciceronemque inimicitiae - Inter Caesarem, Pompejum et Crassum foedus - Domitii consulatus irrita petitio - Cato frustra praeturam contra P. Vatinium petit - Trebonii tribuni pl. rogatio - Anno exeunte Praetor designatus est Cato - Praetura ejus. -

Interim, opera Pompeji, jam anno 57 (¹), Cicero Romam revocatus est, Clodiumque inimicum magna cum acerbitate accusavit, quem nunquam secundum legem tribunum designatum fuisse, demonstrare Senatui et populo conatus est. Qua de re etiam illius omnia decreta nihil valuisse statuit (²). Per se patet haec inter decreta id quoque fuisse, quo in Cyprum legatus missus est Cato, qui autem Clodii immemor hac in re facinorum, pro eo verba fecit, minus profecto ad tribunum ipsum, quam quidem justum et honestum contra praeclarum oratorem defendendum.

Indole Catonis res certe digna erat, simul vero virtutis indicium oratori »in Romuli faece" forsitan ridiculum (³); quidquid est, de hac ipsa re

(¹) Drumann, V, 167.

(²) Plut. *Cat. Min.* 40.

(³) Quod et etiam V. Cl. Drumanno videtur; nam ait: »*Zum Ergötzen der feindlichen Partei nahm Cato den gemeinschaftlichen*

inimicitiae inter eos qui hucusque amici fuerant, ortae sunt, non diu autem post reconciliatae ([1]).

Eodem ipso tempore ([2]) inter Caesarem, Pompejum Crassumque pactum factum est, quo copias, provincias omnem quoque potestatem inter se dividere conati sunt. Quod ad perficiendum Pompejus et Crassus (a. 55) consulatum magno studio petierunt. Quibus Cato vehementissime restitit. Hic enim, eorum incepta timens, vix forsitan providerat Pompeji potestatis incrementum Caesaris viribus damno esse futurum. Qui, Catone ita recusante, Consules ambo designati sunt, dum levir ejus L. Domitius Ahenobarbus repulsam tulit in consulatu petendo, quamvis ab ipso Catone summa cum constantia confirmatus. Quod nec sine periculo fecerat ille; nam in Campo Martio ab adversariis impetus in eum et levirum factus est, quo tempore impavidus Cato vulnus accepit ([3]).

Consecuta est irrita ipsius Catonis praeturae petitio, contra scelerum competitorem P. Vatinium ([4]), qua re »si vere aestimare volumus, non Catoni tunc

---

Feind (Clodius) in Schutz, der Beschluss über Cyprus wurde dadurch geheiligt, dass er (Cato) ihn vollzog." (V. 168.) Dictum profecto acerbissimum et iniquum.

([1]) Plut. *Cat. Min.* 40. fin.

([2]) Plut. » » 41.

([3]) Plut. » » l.l. Drumann. V, 169.

([4]) Plut. » » 42. Cic. *ad. Fam.* 1, 9. »De Vatinio autem

praetura, sed praeturae Cato negatus est (1)," quod nullo modo hyperbolice dici, testatur Plutarchi hujus rei descriptio (2). Qua etiam Catonem vidimus honorem, quem ad se ipsum ornandum recusaverat, avide pro patriae salute petentem; populum autem Romanum eum ipsum repulsa afficientem in petitione, ad quam suscipiendam ipsorum civium commodum eum incitaverat; quum dignitatem illam in eum conferre parati fuissent, solum ad gloriam ipsius Catonis augendam. Res profecto minime miranda, nec inconstantiae plebis, illo ipso sive alio quodam tempore, rarum exemplum. Catonis repulsa, per se patet Consulum potestatem quam maxime auctam fuisse, de qua re, eodem tempore in epistola quadam, testimonium affert Cicero hisce verbis: »tenent omnia, idque ita omnes intelligere volunt (3).«

Non mirum ergo, quum Cato Trebonii tribuni rogationi restitisset (4), qua Consulibus provinciae,

---

primum reditus intercesserat in gratiam per Pompejum, statim ut ille praetor est factus, cum quidem ego ejus petitionem gravissimis in Senatu sententiis oppugnassem, neque tam illius laedendi caussa, quam defendendi atque ornandi Catonis."

(1) Val. max. VII, 5, §. 6.

(2) Plut. *Cat. Min.* 42. Ἔνθα δὴ λέγεται τοὺς μὲν οὕτω παρανόμως καὶ ἀδίκως θεμένους τὴν φῆψον εὐθὺς ὥσπερ ἀποδράντας οἴχεσθαι, etc.

(3) Cic. *ad Quintum fr.* II, 9.

(4) Plut. *Cat. Min.* 43.

copiae, cum permagna potestate decernerentur, eum vi et armis ex foro pulsum esse ([1]), ipsum quoque Pompejum nullam auctoritatem ejus de Caesaris ambitione monitis tribuisse ([2]).

Quibus rebus nullo modo absterritus, anno exeunte, Cato iterum ad perficienda incepta, quorum supra mentionem fecimus, praeturam postulavit ([3]). Qua petitione profecto demum fortuna fortem adjuvit, et sequenti anno (54) id munus auspicatus est ([4]).

Qua praetor Cato civium morum corruptelam emendare primo loco molitus est; indolis ipsius praetoris indicium memorabile. Cui inustum semper erat vilis et injusti odium, quibus vitiis, ut jam supra vidimus ([5]), omnia fere mala, quae civitatem vexabant, referebat. Inter vitia reprimenda primum obtinebat locum suffragii latorum corruptio, ad quam corrigendam legem tulit Cato, qua, comitiis habitis, candidati de ambitu inquisitioni a judicibus instituendae subjiciebantur ([6]). Lex quidem plebi quam maxime

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* 43.

([2]) Plut. » » l.l. fin.

([3]) Plut. » » 44 et 50.

([4]) Cic. *Phil.* XIII. 14. Aul. Gell. XIII, 19. Conf. Drumann, V. 170. an. 74.

([5]) Vide supra p. 41.

([6]) Plut. *Cat. Min.* 44. Conf. Drumann, V. 172 an. 82. »Cic. *ad Att.* IV. 16, §. 4. »Ut tacitum judicium ante comitia fieret; *er nennt Cato nicht.* Plut. 44, *bezeichnet ihn als den Urheber*

ingrata, quam ob rem eum in senatum euntem lapidibus et injuriis persecuti sunt (¹). Qui impavidus et constans populi furorem verbis luculentissimis placavit; irridens autem senatoribus perterritis, qni in vitae periculo eum reliquerunt, cujus postea virtutem laudaverunt, responsnm dans: »Vos autem, patres conscripti, qni summo in periculo praetorem reliquistis, laudare, mihi non licet (²)."

Interea hoc modo, forsitan consulatus candidatis ingratus, Cato reliquis bonis civibus placuit, qui ejus etiam inceptis favebant. »Tribunicii candidati compromiserunt HS. quingenis in singulos apud M. Catonem depositis, petere ejns arbitratu, ut qui contra fecisset, ab eo condemnaretur (³)." Eodem loco addit epistolae scriptor, »quae quidem comitia, gratuita si fuerint, nt putantur, plus unus Cato fuerit, quam omnes leges omnesque judices (⁴)." Eventus magnum Catonis apud omnes integritate pondus demonstravit; a qno candidatorum unus dam-

---

der Verfügung, deren Sinn er unrichtig auffasst. Die erwählten Magistrate sollten, auch ohne angeklagt zu sein, sich vor Gericht darüber ausweisen, dass sie sich keiner gesetzwidrigen Mittel bedient hätten. ALEX. ab ALEX. *Gen. D.* 3, 17."

(¹) PLUT. *Cat. Min.* l.l.

(²) PLUT. » » l.l.

(³) CIC. *ad Quintum fr.* II, 15.

(⁴) Conf. *ad At.* VI. 15; ubi iisdem verbis eadem amico, quae fratri scribit. Cf. PLUT. *Cat. Min* 44. SENEC. *Ep.* 104. PLIN. *H. N. Praef.* p. 12.

natus, tamen mulcta absolutus est, quod, ex omnium sententia, jam Catonis ira et condemnatione satis magnas dederat poenas ([1]).

Eodem ipso tempore Gabinius e Syria ad urbem accessit, et Catone praetore repetundarum reus factus, a judicibus denique, quamquam ab ipso Cicerone defensus a Pompejoque adjutus, in exilium missus est ([2]). Cui rei per se non multum est momenti quod ad Catonem pertinet, sed Cicero, haec enarrans, etiam testatur, ea tempestate Catonem aegrotavisse ([3]). Res mira certe, nam e vitae ejus historia apparet, eum quam maxime mente sana in corpore sano fructum fuisse.

Catone quoque praetore ([4]), Pomptinus quondam, Consule Cicerone, in Gallia Narb. propraetor, qui Allobrogos devicerat, et jam per quatuor annos frustra triumphum petierat, triumphavit, quamvis in petitione vehementer a Catone oppugnatus, qui »se vivo illum non triumphaturum ([5])" affirmaverat. His

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* 44.

([2]) Drumann, III. 59. V, 171.

([3]) Cic. *ad Quintum fr.* III, 1. »Quod Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetundis (Gabinius) non erat postulatus." Scripta est epistola mense Septembri, sequente autem mense publice accusatus est Gabinius. Vide Drumann, ll. ll.

([4]) Drumann, V. 173.

([5]) Cic. *ad Att.* IV. *ad Quintum. fr.* III. 4. 16. fin. »Quod Pomptini ad triumphum a. d. III Non. Novembris volebam adesse.... Nam Cato et Servilius praetores, prohibituros se minantur: nec quid

omnibus rebus non mirum est optimatum in Catonem odium auctum fuisse. Qui autem amantissimam sui semper, simplicitate morum caussa, habebat plebem, quae summa ejus reverentia ducta, cives sanctos et egregios Catones habebant ([1]); quoque ut mimae publice, in praesentia ejus nudarentur, constanter recusans ([2]). Porro »M. Scauri caeterorumque reorum iudicia, nulla indutus tunica, sed tantummodo praetexta amictus egit ([3]);" sequentis autem anni (53) initio quum Favonius amicus, opera ejus Aedilis, obnitentibus Pompejo et Clodio ([4]), designatus esset, pro amico munere functus, in ludos publicos sobrietatem atque modestiam inducere conatus est; atque, ut ait Plutarchus ([5]): »"Επραττε δὲ ταῦτα, διασύρων τὸ πρᾶγμα, καὶ διδάσκων, ὅτι παίζοντα δεῖ τῇ παιδιᾷ χρῆσθαι, καὶ χάριτι παραπέμπειν ἀτύφῳ μᾶλλον, ἢ παρασχευαῖς καὶ πολυτελείαις, εἰς τὰ μηδενὸς ἄξια φροντίδας μεγάλας, καὶ σπουδὰς κατατιθέμενον."

---

possint scio. Ille enim etAppium consulem secum habebit et praetores et tribunos plebis. Sed minantur tamen; in primisque ἄρη πνέων Q. Scaevola."

([1]) Val. max, II, 10. § s.

([2]) Val. max. l.l. Conf. Mart. *Epig.* I, Senec. *Epist.* 97.

([3]) Val. Max. III, 6 §. 7.

([4]) Plut. *Cat. Min.* 46.

([5]) Plut. » » l.l. fin.

CAPUT VII.

Romae Clodius a Milone interficitur - Catone suadente, Pompejus in amplissimo gradu auctoritatis collocatur - Irrita Catonis consulatus petitio - Ciceroni supplicationem decernere recusat - De hac re Catonis ad Ciceronem epistola —.

Anni 52 infaustum civitati erat initium: quamvis Milo gladiatoribus Clodium interfecisset ([1]), atque ita perniciosum patriae hostem amovisset, Romae, nullis summa cum potestate ornatis magistratibus, nec civibus salus, neque reipublicae tranquillitas erat. Quam ob rem hocce in urbis et totius civitatis summo periculo, ultima ad rempublicam servandam ratio omnibus visa est, ipsi Pompejo summam tribuere potestatem, cui ergo, Catone statuenti »πᾶσαν ἀρχὴν ὡς ἀναρχίας κρείττονα ([2]),'' SConsulto in urbe et cuncta Italia imperium mandatum est.

Quo facto, minime dicto suo »Pompejum decere salutem legibus debere, non vero leges Pompejo ([3]),'' infidelis erat; nam nullo modo illi imperanti, quidquid vellet perficere licebat, cujus blan-

([1]) Drumann V, 174.
([2]) Plut. *Cat. Min.* 47. Conf. Drumann, l.l.
([3]) Plut. » » l.l.

dissimis verbis responsum dedit severum Cato, affirmans, »se semper, etiam non rogatum, pro bono reipublicae Consuli consilium daturum (1)." Cui non solum verbis sed factis, ita ut temporibus actis saepissime jam fecerat, sed etiam permultis, quibus autem non multum est momenti, in rebus restitit (2).

Inter alia, Pompejo fautore, Caesar absens consulatum petere ausus est, quod facere tamen ei non permisit Cato (3); eodem fere tempore quoque frustra Milonem contra Pompeji Clodii mortis accusationem publice defendens (4).

Catonis tamen privati auctoritas non ad increscentem Caesaris vim oppugnandum, et ad ipsum Pompejum continendum sufficere ipsi videbatur, qui hanc ob caussam, una cum Servio Sulpicio et M. Claudio Marcello, ipse consulatum petiit (5). Quem repulsam tulisse non mirum, quamvis certe patriae quam maxime dolendum. Ut jam supra vidimus, Pompejum, Caesarianos, Clodii clientes, Gabinium cum suis, Vatinium, hos omnes sibi inimicos habuit — cui etiam plebs ingrata minime benevola erat, magis in eo magistratum timens severum quam

(1) Plut. *Cat. Min.* 48.
(2) Plut. » » l.l.
(3) Plut. *Cat. Min.* 49.
(4) Caes. *Bel. Civ.* I, 32, Plut. *Pomp.* 56. Liv. 107.
(5) Plut. *Cat. Min.* l.l.

libertatis studiosissimum optans defensorem ([1]). Quin etiam multitudo eum magno odio persecutus est, quod contra morum corruptelam certans, magna vitii praemia ipsis ademerat. Quod ad Ciceronem pertinet, omni tempore cunctos sibi conciliare conantem, quotiescunque id sine periculo efficere potuit, non patet, quamvis Cato ille noster ei »unus pro centum millibus esset ([2])," eum amicum in petitione adjuvisse ([3]).

Cato autem aequo animo repulsam tam gravem tulit, eodemque die in Campo Martio pila ludentem ([4]) se civibus ostendit; cujus tranquillitas animi non tam negligentiae quam magnanimitatis testimonium est; quidquid ad rempublicam servandam, judicio sùo, efficere potuerat, id summa constantia peractum ab ipso erat — jam haberet sua fata civitas ([5])!

Duobus insequentibus annis vix multa de ipso Catone commemorata sunt ([6]). Inter Pompejum

([1]) Plut. *Cat. Min.* 49.

([2]) Cic. *ad. Att.* II, 5.

([3]) Plut. *Cat. Min.* l.l. Conf. Drumann., V, 177.

([4]) Plut. » » 50.

([5]) Plut. » » l.l. Cic. *ad Fam.* III, 3. IV, 4, 7, 12, VIII, 10. XII, 15. *ad. Att.* V, 4. *Phil.* XIII 14. Suet. *Caes.* 29. Dio Cass. XL, 30, 58, Liv. 108. App. II, p. 443.

([6]) Conf. Drumann, V, 177. »*Cato wird in der Geschichte dieses Jahres* (51) *kaum erwähnt.*" et id. 178. — »*In den Nachrichten über die Verhandlungen dieses Jahres* (50) *verliert sich Cato wieder unter die Menge.*"

Caesaremque certamen continuatum est, hoc absente, trans montes copias parante; illo Romae frustra conante optimates et plebem sibi amicos reddere.

Interea Proconsul in Ciliciam missus est Cicero, qui immemor eorum, quae non multis ante annis caeteris dixerat optimatibus, videlicet, »ita sunt stulti, ut amissa republica piscinas suas fore salvas, sperare videantur (¹)," jam summo in periculo patriae, sibi supplicationem parare quam vehementissime cupiebat, se, supplicatione decreta, postea triumphaturum expectans. Ad quae efficienda, inter alios ad Catonem miram misit de rebus gestis suis in provincia descriptionem, simul, ut supplicatio sibi daretur, amici in senatu auxilium implorans (²).

Catonis ad nos pervenit responsum, unicum de scriptis ejus exemplum, epistola quidem jucundissima, tam dictionis elegantia, quam rebus in ea scriptis. Quam ob caussam, etsi forsitan pernota sit, epistolam illam hoc loco nobis transscribere liceat (³):

»M. Porcius Cato
M. Tullio Ciceroni Imp.
S. P. D.

(¹) *Ad Att.* I, 18.
(²) Cic. *ad Fam.* XV. 5.
(³) Vid. Cic. *ad Fam.* l.l. Responsum est ad hujus libri Ep. 2.

»Quod et respublica me et nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari industria administrari gaudeam. Itaque, quod pro meo judicio facere potui, ut innocentia consilioque tuo defensam provinciam, servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum revocatum ad studium imperii nostri voluntatem, sententia mea et decreto laudarem, feci. Supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuito, sed summa tua ratione et continentia, reipublicae provisum est, diis immortalibus gratulari nos, quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Quodsi triumphi praerogativum putas supplicationem, et idcirco casum potius, quam te laudari mavis: neque supplicationem sequitur semper triumphus, et triumpho multo clarius est, senatum judicare, potius mansuetudine et innocentia imperatoris provinciam, quam vi militum, aut benignitate deorum, retentam atque conservatam esse: quod ego mea sententia censebam. Atque haec ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi, ut, quod maxime volo, existimes, me laborare ut tibi persuadeam, me et voluisse de tua majestate, quod amplissimum sim arbitratus; et quod tu maluisti, factum esse gaudere. Vale et nos dilige et instituto itinere severitatem diligentiamque sociis et reipublicae praesta."

Quomodo haec epistola a Cicerone accepta sit, non difficile nobis intellectu, hujus viri ingenium considerantibus.

Initio Catonis laudibus se contentum fore, amicis ostendere conatus est Cicero; deinde autem, nunquam repulsam obliviscens, de amico Catone, quem antea semper laudaverat, non sine acerbitate et derisione in epistolis mentio fit (1).

Longe alium hac in re se praestitit Caesar, Ciceronem amicum sibi parare conans, cui non solum supplicationem sed etiam triumphum se concessurum pollicitus est (2).

Quae autem Romae sequenti anno acciderunt, Catonis recusationem Caesarisque ipsius erga Ciceronem benevolentiam utramque irritam fecerunt; novo autem capite de rebus, quibus maximum est momentum, nobis agendum est.

(1) Cic. *ad Att.* VII, 2, 3, 15. X, 16. *ad Fam.* VIII, 17.

(2) Cic. *ad Att.* VII, 1 et 2: »Cato quid agat; qui quidem in me turpiter fuit malevolus. Dedit integritatis, justitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam; quod postulabam id negavit. Itaque Caesar iis literis, quibus mihi gratulatur et omnia pollicetur, quo modo exsultat Catonis in me ingratissimi injuriâ! At hic idem Bibulo dierum XX. Ignosce mihi: non possum haec ferre, nec feram."

CAPUT VIII.

Romae dissensiones - Caesar cum exercitu urbem versus tendit - Pompeji fuga - Capuam eum sequitur Cato - Res in Sicilia gestae - Cato in Asiam ad copias comparandas mittitur - Ad Pompejum revertitur - Caesar a Pompejo Dyrrhachii vincitur - Quem in Thessaliam sequitur Pompejus, Catone Dyrrhachii magnis cum copiis relicto -.

Duobus ultimis annis supra descriptis, inter Caesarem et Pompejum auctae erant dissensiones; quo spatio, quamquam absens, ille semper reipublicae copiis suis minabatur; hic autem, nonnullis coactis amicis, Senatu consentiente, Galliae Proconsulem lacessebat. Interea quoque Caesaris permagna potentia Romae optimates fere omnes timore impleverat, ita ut nunc tandem sincere Pompejum ad Caesarem continendum firmare conarentur. Inter quos Catonem invenimus nostrum, anni 49 initio, Caesarem in Senatu, tam publice quam privatim etiam atque etiam oppugnantem (¹). Qua in re magna cum constantia, prouti hucusque semper fecerat, patriae atque libertatis, judicio suo, inimico resistebat, maxi-

(¹) Plut. *Cat. Min.* 51. *Pomp.* 59. *Anton.* 5. Caes. *Bell Civ.* I, 4. Vell. Pat. II, 49.

ma utens severitate atque indignatione, forsitan etiam pristinis incitatus inimicitiis ([1]).

Gradatim inter Caesarem et Pompejum nulla concordiae spes relicta erat ([2]); providebant quoque omnes modo vi et armis de re ipsa decretum iri. Non multo post (ad Kal. Jan. 49), Caesar copiis coactis, e Provincia exercitum urbem versus duxit, ubi Pompejus, nullis paratis praesidiis, adversarii adventum manere non ausus est Romamque fuga reliquit ([3]). Tunc, quae praedixerat Cato, evenerunt ([4]); una cum Caesaris adventu quoque civium libertati finis impositus est.

Per se patet, Catonem eodem tempore urbem reliquisse. Quod ad faciendum tam indole, quam prudentia excitatus est. Romae profecto, Caesare imperanti, in reipublicae commodum ei nihil perficere licuit — in praesentia victoris in ipsa urbe frangere potestatem, res erat omnis verisimilitudinis expers; veteres autem inimicitiae hortabantur, minime ea victoris debere clementiae, quae absentia Cato sibi

---

([1]) Drumann. V, 180. »*Im Eifer für Verfassung und Recht trat er beide mit Füssen.* »Quomodo? Non patet. Contra Caesarem decreta a Senata comprobata sunt omnia. Quod tribuni, Caesaris fautores, ex urbe pulsi sunt? Catonis certe opera haec non facta sunt; nec usquam de hoc crimine accusatus est.

([2]) Plut. *Cat. Min.* 51.

([3]) Plut. » » 52. Drumann III. 424. an. 17.

([4]) Plut. » » l.l.

parare poterat. Quem non mirum ergo paucis post Pompeji fugam diebus, hunc in Campaniam secutum esse, cara relicta patria, nunquam ipsi quidem iterum visenda (1); omni salutis spe certe jam amissa, maxima cum doloris significatione (2), impavide autem usque ad finem pro civitate, pro virtute, pro legibus atque libertate pugnaturus. Quamvis de foederibus Capuae frustra propositis inter Pompejum et Caesarem, quibus Cicero aderat, taceat Plutarchus, iis Catonem adfuisse, e Ciceronis patet epistola, eadem tempestate amico Attico scripta (3), qua Catonis in senatu testatur auctoritatem, quem nihilominus, tardius quam opus erat in Siciliam, provinciam ipsi datam, ire paratum esse, accusat (4).

Ex altera autem ejusdem scriptoris epistola, apparet jam antea, Idubus Aprilis, Catonem in Siciliam se contulisse (5), quam autem insulam nullo modo obtinere potuit, nam ibidem nuncii de rebus Romae peractis accepti erant, ubi Caesaris firmavit vim C. Curio, ita ut Cato, inutiles timens caedes, festi-

---

(1) Plut. *Cat. Min.* 52.

(2) Plut. » » 53.

(3) Cic. *ad Att.* VII. 15.

(4) Conf. etiam Drumann III 409. et 447. et V, 181. Recte ait V. Cl. » *Wollte Caesar den Frieden, so musste er (Cato) um so mehr eilen, und durch den gesicherten Bezitz der Insel ein Gewicht in die Schale legen, u. s. w.*"

(5) Cic. *ad Att.* X, 16.

nanter provinciam victoris amico in manus tradidit, unam autem legionem secum ducens, iter ad Pompejum fecit (¹).

Vix dubitandum quin belli civilis memoria, quod se puero viderat et Sullae caedes cum patriae amore conjuncta, eum quamvis impavidum, maxime, tam pro publica salute quam humanitate inustoque sanguinis odio, belli adversarium reddiderint.

Quem quoque enixum fuisse amicis consilium dare bellum trahendi, incolis parcendi, nullo modo civem quemquam Romanum injuria afficiendi, patet (²). Quibus rebus procul dubio ipsi Pompejo et suis se invisum fecerat, ita ut repente in Asiam, specie ad classis copiarumque parandarum quam honorificentissime missus est, revera autem minus ad auxilium petendum, quam ad eum ipsum amovendum. Quo itinere secum duxit Serviliam sororem matruelem, Luculli viduam (³), filiumque hujus, quos in Rhodo insula, Pompejo ab eo conciliata, reliquit (⁴). Memorandum est, ipsum Caesarem Catonis erga Serviliam amicitia turpiter hac occasione abusum esse ad moribus ejus calumniandum (⁵).

(¹) Plut. *Cat. Min.* 53. Drumann. V, 182.
(²) Plut. *Cat. Min.* l.l. Drumann, l.l.
(³) *Supra.* p. 14, an. 5.
(⁴) Plut. *Cat. Min.* 54.
(⁵) Plut. • • l.l.

In Asia, quod etiam exspectandum erat, non multa ad Pompejum adjuvandum efficere potuit, nam ibidem Metellum invenit Scipionem, jam antea, ut vidimus, Catonis inimicum (1), qui festinanter quoque ei ostendit, praesentiam ejus sibi nullo modo gratam esse (2).

Apud Pompejum exercitumque redux, novum expertus est Cato illius invidiae, vel inconstantiae, documentum odiosum. Pompejus quidem interea classem paraverat magnam, eique praeponere primum Catonem visum est, cui, testante Plutarcho (3), jam hanc rem persuaserat; deinde autem, amicis illius obstantibus, qui Catonis timebant potentiam (4), hujus loco classis dux factus est Bibulus (5).

Ita ut prius in Consulatus petitione aequissimo animo repulsam tulerat, nunc iterum magna cum animi constantia, a Pompejo tulit sibi illatam injuriam.

»Ait se," testatur Seneca (6), »si Caesar vicerit moriturum, si Pompejus exulaturum;" non difficile

(1) Plut. *Cat. Min.* 7 et *supra p.* 26. De Metello Scipione, vide etiam Drumann, II, 44, sqq.
(2) Conf Drumann, V, 182.
(3) Plut. *Cat. Min.* 54.
(4) Plut. » » l.l.
(5) Drumann. III, 480.
(6) *Epist.* 104.

ergo intellectu, eum non magno luctu, classis imperio amisso, affectum fuisse.

Manebat quoque nihilominus apud Pompejum, verbis et factis milites ad misericordiam, ad virtutem exhortans; ante proelium adversus hostes copias incitans; post certamen mortuos plorans (1).

Interea anni 43 initio (2), Pompeji legati in Hispania a Caesare devicti sunt, qui in Illyriam copias perduxit, ad ipsum subjugandum Pompejum (3). Quem in praesentia cum suis fortuna adjuvit, nam apud Dyrrhachium victus est Caesar, qui cum exercitu in Thessaliam se contulit, ubi eum secutus est Pompejus, Catone Dyrrhachii duce relicto (4).

Apud quem erant, si Plutarchi de hac re narrationi fidem habere liceat (5), XV cohortes, cum permagnis commeatibus divitiisque fere innumeris, et compluribus Pompeji potentissimis fautoribus (6).

His omnibus firmatus, Dyrrhachii Pompeji nuncios manebat, a quibus quid sibi perficiendum comperire, sperabat.

---

(1) Plut. *Cat. Min.* 54. fin.
(2) Drumann, V. 183.
(3) Plut. *Cat. Min.* l.l. Drum. l.l. et III, 433.
(4) Plut. » » 55. init.
(5) Plut. » » 55.
(6) Cf. Drumann, V, 183.

CAPUT IX.

De proelio Pharsalico nuncium accipit Cato - Copias Corcyram ducit - Ciceronis vitam servat - Iter facit in Africam - Res Uticae gestae - Proelium Thapsicum - Catonis mors. -

Fere ad mensis Julii Idus, Cato Dyrrhachii a Pompejo frustra nuncios exspectabat, qui tandem venerunt, infelicis apud Pharsalum proelii exitus narrationem secum ferentes; quibus autem, ut patet, ipsius Pompeji sors ignota erat ([1]). Omnia autem amissa fore; hoc quidem certum erat.

Ita ut omni fere tempore, una cum periculo aucta est Catonis virtus, qui in his infaustis rebus, festinanter statuit, Pompejo interfecto, copias in Italiam ducere, postea in exilium abire, ad vitam procul tyranni vi degendam; Pompejo autem servato, ei copiis coactis auxilium ferre ([2]).

Quo consilio, omnes copias et munitiones Corcyram perduxit, ubi Pompeji filium amicumque invenit Ciceronem. Qui longe aliter quam Cato se hac occa-

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* 55 et 56 init.

([2]) Plut. » » 55.

sione gessit. Nam hic statuens, sibi propraetori illum proconsulem imperatoremque quidem anteponendum, ei exercitus summum tradere imperium cupiebat ([1]); honorem profecto periculosum, quem accipere prudentissimus recusavit Cicero, qua re minime patet, eum eximiae virtutis documentum praebuisse, vel magnum Pompeji amorem; quam ob caussam etiam tam irati sunt hujus filius sociique ejus, ut Ciceronem non jam vitam perdidisse, incolumemque in Italiam reducem fuisse, sine ullo dubio, Catonis operae auxilioque tribuendum sit ([2]). Qui interea Corcyrae certior factus est, Pompejum in Egyptum se contulisse ([3]), ubi eum sequi omnibus cum copiis et munitionibus statuit, permultos Pompeji amicos ex insula secum ducens; inter quos erat etiam Cn. Pompejus, Magni filius.

In quo itinere, antequam Africae terram attingeret, patet ad litora eum venisse Achaiae, Laconicae et Cretae insulae, ubivis contra Caesarem socios firmare iisque auxilium afferre conantem ([4]). Qua occasione Pompeji Magni mortis nuncium accepit ([5]),

---

([1]) Plut. *Cat. Min.* 55.

([2]) Plut. » » 55 fin.

([3]) Plut. » » l.l. init.

([4]) Plut. *Cat. Min.* l.l. Eutrop. VI. 23 (18). Lucan. IX 36. et 121. Dio Cass. XLII, 13, 14. Conf. Drumann, III, 571, sqq.

([5]) Plut. *Cat. Min.* 56 etc. »Dio Cass, l.l. *erzählt, er sei erst in Cyrene von Pompejus Schicksale benachrichtigt u.* Plut. 79,

quum obvium ei esset classis, Pompeji uxorem filiumque Sextum ferens ([1]).

Si usque ad hoc tempus ulla patriae salutis spes superfuisset, inde ab hoc die nihil nisi procul tyranni potestate miseris cum sociis vitam degere, ei relictum erat, forsitan quoque, amicis copiisque coactis, tempora et res feliciores exspectare. Quam ob rem cum exercitu iter in Africam persecutus est, ubi, quo loco terram attigerit, statuere non licet. Ibidem pedibus in locis desertis militibus praeiit, omnes exemplo praeceptisque excitans, Uticam ad urbem tendens. Quam diu iter per desertam Africam duraverit, quod sciamus, definire non licet. Per septem dies, ut ait Plutarchus ([2]), vagatus est; per duos menses eum devagatum esse, affirmat Lucanus ([3]); plus autem verisimilitudinis Romani quam Graeci dicto fore, judicio nostro vix dubitandum est ([4]). Quidquid est, notum eum anni 47 initio Uticae se cum Juba et Metello Scipione conjunxisse, militum secum ducentem, testante Plutarcho, fere decem millia ([5]). Scipioni proconsuli propraetor Cato summum

---

dieser habe von seiner Annäherung noch Kenntniss erhalten; dann würde er sich nicht den Aegypt. überliefert haben." Drum. III, 571. an 1.

([1]) Plut. *Cat. Min.* l.l. Lucan. IX, 45. Drumann V, 188.

([2]) Plut. *Cat. Min.* 56. fin.

([3]) Luçan. IX, 941. sqq.

([4]) Conf. etiam Vell. Pat. II, 55. Qui de itineris tempore tacet.

([5]) Plut. *Cat. Min.* 56.

dedit imperium, contra ipsorum militum autem voluntatem, hunc ducem servare optantium, qui autem constanter recusavit honorem accipere quo leges moresqne frangerentur. Interea jam statim Catonis praesentia refrenatae sunt Jubae arrogantia et superbia, Scipio Varusque inter se conciliati, omnesque conati sunt contra hostem se maxima cum diligentia munire.

Res autem difficillima erat; inter Pompeji amicorum dnces inimicitiae, quamvis Catonis praesentia mitigatae, regnabant; Jnba ipse superbus, arrogantia inflatus, Romanorum ducum magnam potestatem odio habebat (¹), atqne ipse Scipio crudelitate cum severitate mixta, miseros quidem populos sub potentia retinere frustra conatus est. Interim Caesar, magno cum exercitu, in Africam ad socios Pompejanos oppugnandos tetendit, facilem, ut apparebat, victoriam reportaturus. Cato quidem, ut jam supra diximus, exercitus imperinm tradiderat Scipioni, consiliis et factis autem duci auxilium praeclarum praebens, cujus nimiam .severitatem temperare conatus est.

Uticae enim incolae vel amore vel metu ducti, Caesari amicos se praebuerunt, quam ob rem, max-

---

(¹) Plut. *Cat. Min.* 57. 58. sqq. Caes. *Bell. Afr.* ll. div. Drumann, III, l.l. et V, 184.

ime in eos iratus est Juba rex, qui se ulcisci cupiens, Scipionem rogavit ut urbem depopularetur et vastaret, res Romano duci facillima, profecto forsitan etiam nullo modo ingrata.

Precibus autem adductus Catonis, incolis pepercit; ille autem summa cum auctoritate Uticae relictus est, dum Scipio cum exercitu Caesari obvium se dabat (1). Magna Catonis incolarum cura hisce miserrimis temporibus, magnanimitatis, humanitatisque indicium praeclarum est; quid sibi ipsi eveniret, id res nullius momenti ei videbatur; nam, »eodem tempore ea sibi et victo et victori constituerat, quae constituta esse ab hostibus iratissimis potuerant (2)," sed ad finem usque impavidum eum videbimus amicorum necessariorumque saluti prospicientem.

Urbe contra hostes tam intra quam extra muros munita, ad Scipionis exercitum, opera Catonis commeatus et auxilium »delectus quotidie libertinorum Afrorum servorum, denique et cujusquemodi generis hominum, qui modo per aetatem arma ferre poterant (3)," missi sunt, quamvis eodem tempore, Scipionis invidiae gratia, inimicitiae inter eum Catonemque iterum ortae sint; dum ille huic socordiam imputare non verebatur, qui prudentissime ei con-

---

(1) Plut. *Cat. Min.* 58. Eutrop. l.l.
(2) Seneca, *Ep.* 104.
(3) Hirt. *Bell. Afr.* 36. Plut. *Cat. Min.* 58.

silium dederat, ne unius proelii exitui sortem vitamque et omnem salutis spem permitteret.

Quibus autem consiliis turpiter contemtis, non diu post, quae praedixerat Cato evenerunt; nam in proelio Thapsico, (die nono ante Id. Apr. a. 76), Caesar Scipionem sociosque devicit, ita ut, exercitu fugato, duces paucis cum militibus fuga vitam servare coacti sint (1).

Duos modo dies post pugnam de eventu Uticae nuncius allatus est (2), perterritique sunt omnes urbis incolae et praesidia; unus Cato constanter virtute enituit, verbis luculentis milites atque cives exhortans ne, instante periculo, se victoris dispersos in potestatem traderent, sed ut vi unita fortiores redditi, Caesaris adventum manerent (3).

A Plutarcho (4), et quantum novimus, a nemine praeterea, quam copiosissime descripta sunt ea, quae Uticae inde a proelio Thapsico usque ad Catonis mortem acciderunt, tam diserte, ut nobis profecto non liceat de his gravissimis rebus descriptionem longam addere, quam e jucundissimo scriptore Graeco, describere coacti essemus, quum praeterea nihil quod alicujus esset momenti addere possemus,

(1) De quo proelio vide praecipue Drumann. III. 592. sqq.
(2) Plut. *Cat. Min.* 58. App. II, p. 489.
(3) Plut. » » 59.
(4) Plut. *Cat. Min.* l.l. sqq.

quam ob caussam sufficiat hoc loco de insignioribus rebus paucis absolvere.

Constantia atque prudentia pro tempore Cato sociorum augebat virtutem, qui reverentiam obedientiamque maximam ei polliciti sunt, et quam diu aderat, etiam magnanimitate ejus confirmati; quum vero abesset, vel Caesaris clementiam implorare, vel fuga salutem petere parati erant.

Festinanter autem a transfugis e castris, qui Caesaris adventum nuntiabant, et literis quibus Juba et Scipio urbem monebant tradere ([1]), socordiaque ipsorum militum et civium auctae sunt in urbe turbae et dissensiones, ita ut contra victorem urbem diutius defendere, ipsi Catoni jam non liceret.

Qui de Caesaris proximo adventu certior factus, sicuti initio a fuga dehortatus erat, jam socios per mare ex hostis manibus salvos reddere conatus est; summa cum cura usque ad ultimam vitae horam omnium saluti prospiciens. Eodem die mare fluctibus tumidis erat minax; et usque ad mediam noctem infelices milites et cives hic illic ab hostibus et mare procelloso obsessi sunt ([2]). Solus Cato constans et immutabilis inter turbas permansit.

Quo curante denique salvi evaserunt fere omnes;

([1]) Plut. *Cat. Min.* 60. fin.
([2]) Plut. *Cat. Min*, 65.

dum nonnulli amici et necessarii atque Catonis filius apud eum manebant.

Quid autem sibi statuerat Cato? Id, quod profecto nobis pernotum est; amicis ejus, quos secum habebat, vix illo tempore ignotum erat, quamquam ab incepto eum dehortari non ausi sunt; dum ipse carissimus filius patrem flectere frustra conans, severam tulit repulsam.

Patriae libertatem exstinctam viderat Cato, »heros ille noster" libertatem amatam, tot per annos a se vi et armis defensam; sub tyranni potestate ipsum non decebat vitam degere, quam fuga servare jure spreverat; libertatem denique, summum bonum, mors ipsa ei allatura erat, quam sibi consciscere non temere decreverat. Apud Catonem autem dictum factum erat, et quum noctem peregisset Platonis librum de animi immortalitate legendo, mane mortuus est inventus ille (1), qui »quae erant et futura viderit, et ne fierent contenderit et facta ne videret vitam reliquerit (2)."

(1) Plut. *Cat. Min.* 70. App. II. p. 490. Anno aetatis 49 (a. C. 46).
(2) Cic. *ad. Att.* XII, 4.

CAPUT X.

Caesaris Anticato - Ciceronis laus Catonis - Hirtii liber contra Catonem - M. Bruti, Fabii Galli, Munacii Rufi, Paeti Thraseae de Catone scripta. - Inter Catonem Ciceronemque in rebus publicis comparatio. -

Quantum auctoritatis in Catone fuerit, maxime patet e momento morti ejus tributo.

Initio ipse Caesar sibi occasionem non esse Catoni veniam dandi deplorabat, cujus gloriae se etiam invidere dixit, patrimonium quoque liberis ejus servans (1). Quam ob rem, eum non multo post Anticatonem suum scripsisse mirum videretur, ni potius hunc scripsisset librum ad res ipsas a Catone defensas refutandas, quam ad ipsi Catoni calumniandum. Idem fecerunt, testante V. Cl. Drumanno (2), etiam Cicero (3), sententia Caesari adversa; M. Brutus (4), Fabius Gallus (5), Munacius Rufus (6) et Paetus Thraseas (7).

(1) Caes. *Bell. Afr.* 88. ann. Oudendorpii.
(2) Drumann V, 187.
(3) Cic. *ad Att.* XII, 4.
(4) Cic. *ad Att.* XII, 21. XIII, 46. Suet. *Oct.* 85.
(5) Cic. *ad Fam.* VII, 24, 25.
(6) Plut. *Cat. Min.* 37.
(7) Plut. *Cat. Min.* l.l. Tacit. *An.* XIII, 49. XVI, 35. Suet. *Nero*, 37.

Horum omnium librorum, quibus etiam Hirtii scripta addere opus est, Caesaris liber, cui erat inscriptio »Anticato (1)", primum obtinet locum.

Hoc opus duos continebat libros, testante Suetonio (2) hisce verbis: »Reliquit (Caesar) et de analogia libros duos et *Anti-Catones* totidem," quod confirmat Cicero, ubi in epistola quadam (3), de Caesaris »*libris* contra Catonem" loquitur. Quorum argumentum, quamvis ipsi libri nobis abrepti sint, e permultorum veterum scriptorum operibus, quodammodo notum est.

Apud Tacitum (4), Cremutius Cordus de Caesaris libro hanc fert sententiam, omnibus nobis rebus cognitis probatam: »Marci Ciceronis libro, quo Catonem coelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud judices, respondit?"

Quod profecto aptissime libri dictionem et genus demonstrat. Nam quae in Catone extollerat Cicero, ea a Caesare refutata sunt: in rebus publicis Catoni erant, e sententia ejus, arrogantia, superbia et dominatus; in vita privata lubido (5), avaritia (6),

(1) Plut. *Cat. Min.* 54. Quintil. I, 5, §. 68. Aul. Gell. IV. 16. Dio Cass. XLIII, 13. App. II, p. 490. Conf. Drumann III, 790. an. 58.

(2) Suet. *Caes.* 56.

(3) Cic. *ad Att.* XIII, 50.

(4) Tacit. *An.* IV, 34.

(5) Plut. *Cat. Min.* 54.

(6) Plut. *Cat. Min.* 11, 36, 52.

ebrietas [1]; exempla, quibus haec omnia vitia Catoni fuisse demonstrare conatus est Caesar, jam supra enarravimus.

De his libris supersunt modo pauca quasi excerpta, quorum insigniora apud scriptores jam laudatos inveniuntur [2].

Ad hos libros scribendos Caesar Catonis laude a Cicerone scripta incensus est [3]. Dolendum etiam hunc librum nobis periisse.

E quadam alia Ciceronis ad amicum Atticum epistola [4], patet eum, ab amico incitatum, Catonis laudis scribendae propositum cepisse, minime ergo, quidquid ipse postea affirmaverit, a M. Bruto excitatum [5].

Quantum valuerit Ciceronis liber, aperte e Caesaris responso patet; qui turbis et bellis tam civilibus quam externis immixtus, festinanter ipse libros, de quibus mentionem supra fecimus, scripsit, interea, dum bellum in Hispania adversus Scipionis filios gerebat, amicum Hirtium ad magno respondendum oratori designavit, qui Ciceroni non multo post li-

---

(1) Plut. *Cat. Min.* 6 et 44. Plin. *Ep.* III, 12. Conf. Drumann. III. 70.

(2) Ex. ll. gr. Plut. *Cat. Min.* Aul. Gell. ll.

(3) Plut. *Caes.* 3. Cic. *ad Att.* XII, 5. XIII, 46. *Top.* 25.

(4) Cic. *ad Att.* XII, 4.

(5) Cic. *Brut.* X, Conf. Drumann. III, 758.

brum misit ([1]), »quasi πρόπλασμα ejus vituperationis, quam scripsit Caesar de Catone ([2]).''

Quam vehementer fere omnes Ciceronis libro commoverentur, a permultis scriptoribus ostenditur ([3]). Dum verebatur Cicero »ne in Catonium Catoninos ([4]),'' Caesaris libros magna cum urbanitate laudabat; post imperatoris autem mortem, »nimis impudenter ([5])'' Caesarem contra Catonem suum scripsisse, non magna utens modestia, statuit. Interea quoque initio Hirtium, propter librum ejus laudes suas continentem, extollit, saepissime Atticum rogans librum transcriptum caeteris mittere amicis ([6]).

Porro libros Catonis continentes laudes scripserunt, eodem anno 45, vel postea, Fabius Gallus ([7]) et M. Brutus ([8]), quorum autem, quod scimus, nihil nobis restat.

([1]) Cic. *ad Att.* XII, 40. »Qualis futura sit Caesaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis.''

([2]) Cic. *ad Att.* XII, 41.

([3]) Aul. Gell. XIII, 19. Tacit. *An.* IV, 34. Plut. *Caes.* 54. Dio Cass. XLIII, 13. App. II, p. 490. Conf. etiam Cic. *ad Att.* XII, 40. XIII, 27.

([4]) Cic. *ad Fam.* VII. 25.

([5]) Cic. *Top.* 25.

([6]) Cic. *ad Att.* XII, 40. 41. 44. 45. 47.

([7]) Cic. *ad Fam.* VII, 24, 25.

([8]) Cic. *ad Att.* XII, 21. XIII, 46. Suet. *Oct.* 85. V. Cl. Drumann addit: »*Brutus schrieb nicht erst, als Cäsar's Anticato erschie-*

Quae de Catone scripserunt Munacius Rufus et Paetus Thraseas, Plutarchus paucis commemoravit, hunc alterum imitatum esse testans ([1]). Munacium autem Caesarem in vituperatione ejus adjuvisse quoque affirmat ([2]); quamvis postea ille Catonem juste haberet ([3]) pro injuriis, quibus eum affecerat in narratione de rebus Cypri gestis, quam verum Catone vivo scripserat ([4]).

Quam maxime dolendum est, haec omnia opera saeculis nobis abrepta esse, minus quod ad illustrandos Catonis mores magnum iis fuisset pretium, quam quod per se praeclara essent ejus aetatis testimonia litteraria. Partim ab amicis, partim ab inimicis Catonis scripta, credere licet, ea non tam Catonem quam libertatem, et sententias ejus amicorumque vicissim defendisse et refutavisse ([5]).

Inter veteres jam Sallustius comparationem inter Catonem Caesaremque scripsit ([6]) et inter recentiores Dacier eum Phocione comparat; ambo ei summas tribuerunt laudes.

---

nen war, wie FABRIC. *zu* DIO XLIII, 13, *vermuthet. Das Gegentheil ergibt sich*" — e locis supra laudatis. (III, 758. an. 53.)

([1]) PLUT. *Cat. Min.* 37.

([2]) PLUT. » » 36. fin.

([3]) PLUT. » » 37. in.

([4]) PLUT. » » l.l.

([5]) DRUMANN. V, 187.

([6]) SALL. *Cat.* 54.

Hisce comparationibus utentes, una cum iis quae de vita et moribus ejus jam supra enarravimus, nobis conandum est, de indole et rebns gestis Catonis sententiam nostram ferre. Tam privatum quam magistratum enm depingere nos moliri decet, tam virtutes quam vitia commemorare; de his autem nonnisi magna cum indulgentia loqui, nunquam tempora et res quibns vitam degit Cato obliviscentes.

Res profecto difficillima est, multa post saecula, rebus ad Catonem pertinentibus partim modo nobis cognitis, sententiam de ipso magno, gravissimo viro justam ferre.

Nobis invitis etiam »heros ille noster Cato (1)," cujus vitam magna cum voluptatate conscripsimus, nos sui forsitan nimium amantissimos conciliavit, ita ut sine praejudicatis opinionibns de rebus gestis ejus statuere inceptum supra vires nostras foret.

Statuimus ergo eum Ciceroni in rebus publicis comparare, ita ut jam cum Caesare illum composuit Sallustius (2), quo facto, eo facilius, judicio nostro, eum tanquam ex indolis ejus oppositione cognoscemus.

Iisdem rebus Cato et Cicero erant immixti; eosdem amicos inimicosque fere omnino habebant. Huic et illi in republica magna erat potestas; apud cives

(1) Cic. *ad Att.* I, 17

(2) Sall. *Cat.* 54.

idem pondus. Sed variis de caussis quietem animi dotibus uterque semper excelluerunt.

Simplicitatem morum Catonis miramur; Ciceronis vanitatem in tam excelso viro deploramus. Hic, supplicatione ab amico sibi recusata, vehementissime iratus est (1); ille se praemiis virtutis, sibi in bello Gladiatorio decretis, ornari non passus est (2). Cicero imperatoris nomen adipiscendi in Cilicia cupidissimus erat; Cato, e Cypria legatione reversus, praetor fieri recusavit; postea in Consulatus petitione repulsam aequo animo tulit. Alter rebus gestis suis semper gloriabatur; alter sibi nusquam laudationes adscribebat. Hic virorum potentissimorum blanditias spernebat; alter adulationibus suis homines, quibus in praesentia magna esset potestas, consequebatur. Cato Pompeji affinitatem accipere noluit; Cicero affinitate Dolabellae, Caesaris Imperatoris amici, superbia inflatus erat.

Ita ut vanitate et simplicitate diversi evaserunt, sic etiam constantia animi semper Cato se distinxit et timiditate saepe ridiculum se reddidit Cicero. »Nemo mutatum Catonem, toties mutata republica vidit (3)." Caesarem imperatorem,

(1) Cic. *ad Fam.* XV, 5, VIII, 17. *ad Att.* VII 1, 2, 3, 15. X. 16. Cf. supra. p. 75.

(2) Plut. *Cat. Min.* 8.

(3) Tacit. *Hist.* IV, 8.

"Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis (1),"

laudibus, amicitiisque ad coelum tulit Cicero, cui occiso injuriis et vituperationibus accerrime calumniatus est. Maximo in periculo augebatur Catonis constantia; rebus in arduis fere perterritus erat Cicero. Corcyrae hunc, timiditatis ejus caussa, in vitae maximo discrimine, Catonis fortitudine autem servatum vidimus. Urbe prohibitus hic, opera Clodii, querelis et lamentationibus magnum ostendit dolorem; ille per desertam Africam vagans, posteaque Uticae, praestantissimae animi constantiae testimonia dedit.

Cicero, procul patria vitam degens, sortem amaram suam plorabat; Cato, patriae infelicis mala videns, flebat, commodi sui negligens. Ille patriam tanquam possessionem quamdam carissimam amabat; hic rempublicam libertatis legumque servatricem colebat.

Ambo cognatorum magno amore incensi erant: defuncta fatis Tullia Ciceronis filia, in praesentiarum caeterorum omnium immemor erat; morbo fratre ei abrepto, Cato etiam luctu vehementissime affectus est. Hic Caepioni monumentum erexit Aenii in urbe; ille Tulliae memoriae templum quidem designavit. Alter severitate, indulgentia alter

(1) Horat. *Od.* II, 1.

enitebat. Hic Catilinae sociis parcere molitus est; Clodii precibus quoque demitigabatur; ille hunc ad puniendum urgebat; dum quod ad Catilinae conjuratos pertinet,

»— his dantem jura Catonem (1)"

vidimus.

»Esse, quam videri bonus, malebat Cato (2);" Cicero non modo esse, sed certe videri bonus, cupiebat. Bonitate ac indulgentia hic justum et bonum efficere conabatur; ille autem severitate et rigiditate iniquum et malum semper reprimere aggrediebatur. Quam ob caussam, non mirum cives magis Ciceronem amavisse, Catonem autem timuisse; alterum amicitia, alterum reverentia prosecutos esse.

Alter oppositione fractus et demitigatus, alter vero fortior et immutabilis redditus est. Cicero, Caesare inimico, ut imperatorem conciliaret maximam dedit operam; Cato equites Romanos sibi amicos ne minimam quidem per indulgentiam, in turbis periculosissimis servare recusabat. Hic sibi proavum Censorem exemplar proponebat (3); ille potius amicum Atticum, elegantissimum, splendidissimum virum imitabatur.

---

(1) Virg. *Aen.* VIII, 670.
(2) Sall. *Catil.* 54.
(3) Cic. *pro Mur.* 14, 29, 31. Dio Cass. XXXIII, 22.

Porro, interdum tantum Cicero timiditate, quantum Cato severitate, civitati nocebat. Ille magnas semper statuebat jacturas faciendas ad Caesarem Pompejumque, omnes denique potentissimos, conciliandos, ut urbis servarent pacem: hic, nec Caesari nec Pompejo quidquid concedens, vicissim ambos confirmabat, civitatem autem minuebat.

Tanquam duces militares, nec Cicero nec Cato magnis indolis dotibus se distinxerunt; amboque potius studiis philosophicis quam rebus militaribus addicti erant. Ambo poëtae erant, mediocres licet; hic et ille oratores, num vero Cato quaedam scripserit, nobis ignotum est. Doctrinae ejus testimonia complurima in historia rerum gestarum invenimus, semperque e vitae publicae turbis in ruris tranquillitatem se conferre cupidus erat, ad tempus libris et amicis degendum.

Quem potius in fere omnibus rebus vitae privatae quam publicae aptiorem fuisse nobis apparet. Nam privatus virtutibus excelsis praeditus erat, quibus in magistratu uti, ei saepissime non licuit; in iisdem exercendis quoque non negandum est, eum non semper modum observasse; nam severitate et integritate tam minimis quam maximis in rebus utebatur; Caesari triumphum, Ciceroni supplicationem vix sine ulla necessitate recusavit: Pompejo deinde, consilio ejus utendi cupido, responsum superbum acerrimum

que dedit; amicumque Munacium in Cypria legatione nimia severitate a se alienavit. Qua severitate etiam saepe impeditus est, quominus homines et res per se videret. Caesari, patriae libertatis inimico, initio vix tantum quanti valebat momenti tribuebat; et magnas ejus animi dotes agnoscere nolebat, nimium ponderis Pompejo tribuens. Contra, flagitia et probra Clodii, quaestorumque collegarum abusus, et in ludis publicis luxuria, eum majori quam par erat indignatione incendebant.

Bonitatis animi vero praeclara semper praebuit documenta. Amicorum egestati minuendae divitias libenter impendebat; cives in proelio apud Dyrrhachium interfectos ploravit magno cum luctu; Munacium sibi iterum conciliare summo studio conatus est; caedes et sanguis ei semper invisi erant; Uticae, morte sibi constituta, ut amici salvi essent ultima, ejus erat cura.

„— Catonis
Nobile lethum (1)"

demum permulta invenit judices. Hi laudibus extollunt, alii vituperationibus ob eandem rem ei calumniantur. Nos vero in Catonis morte nil nisi constantiae ejus ultimum maximumque videmus exemplum. Quamdiu reipublicae salutis spes aderat, pro patria

(1) Horat. *Od.* I, 12.

pugnabat, amicosque ad certamen exhortatus est; Caesare autem in proelio Thapsico victore, nil nisi in imperatoris manus se tradere, aut mortem sibi dare ei relictum est. Hoc sibi optabat, nullo modo timore incitatus, nam Caesaris magnitudo animi ipsi caeteros amicos hortanti, ut victori se submitterent, nota erat, sed quod vitâ libertas ei carior; quod sine libertate vitae mors anteponenda erat. Ea ipsi, constantissimo Stoico, vitae erat lex; eaque sententia gladio diebus finem imposuit et »sic abiit e vita, ut caussam moriendi nactum se esse gauderet (1)."

(1) Cic. *Tuscul. Quaest.* I, 30.

Finis.

OPUSCULI

CONSPECTUS.

INTROITUS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.